Sic *Rubeus conſ.42. ad fin. Caſſan. conſ. 47. numer. 27. Bellon. conſ.15. num.6. Berous conſ.49. num.42. vol.1. Cephalus conſ.143. num.19. vol.1. Paulus conſ.419. ad fin. vol.2. Decius conſ.81.nu. 7. vol.1. & l. pactum dotale, num.10. C. de collat.* & alii Doctores, quos referunt, ac illos meritò impugnant, *Roland. eodem conſilio 11. num.7. Suarez eadem limit. 4. num.7. & ibi Valdes in additi. Anton. Gomez eodem num. 10. Gutierr. eodem §. ult. num.3. Tello eodem numer. 61. Ludovicus Morot. eo conſ. 22. num.3. Marauta dicta diſp. 10. num. 32. in fine Menchaca eodem §. illud, num. 57. Surdus conſ. 133. num. 30. vol. 1.* ubi multos alios refert, & *conſ. 322. num.11. vol.3. Beccius conſ. 107. num.14. Gozad. conſ. 75. num. 21. Aliat. conſ. 358. nu.1.* Quare recepiſſe dotem non obeſt juri nepotum ex propria ſuccedentium. Item, quia receptio dotis non efficit renunciationem puram, quæ erat conditionalis, nec eam reformat, vel alterat.

45 Subdunt tamen *Ant. Gomez*, & *Gutier.* ibi, teneri eos nepotes dotem à parente renunciante receptam computare in ſua legitima, ſi ea dos ad ipſos deveniat. Quod quidem veriſſimum eſt. At quando eſt jam conſumpta, eſt graviſſima difficultas. Sed quia non eſt præſentis inſtituti, conſulendi ſunt circa illam Doctores *l. in quartam, ff. ad l. Falcidiam*, & ſpecialiter ibi *Picus num.228. & Cæſar Firmagius à nu.16. Suarez dicta limit. 4. num.11. Gregor. Lopez l. 3. gloſſ.6. tit.15.p.6. Menchaca eodem §. illud, nu.58. & de ſucceſſ. creat. §. 30. à num. 27.*

46 Tertiò limitatur, niſi nepotes ſint hæredes parentis renunciantis, quia hæres nequit venire contra factum defuncti, *l. cùm à matre, C. de rei vendic.* & ſicut parens, ſi viveret, non poſſet contra formam renunciationis venire ad ſucceſſionem ſui parentis, ita nec nepos, qui tamquam hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto. Sic *Guido q.228. num. 2. Caſſan. conſ. 47. num. 38. Rubeus conſ. 42. in fine Bellon. conſ. 15. num. 11. Decius*, & alii, quos refert, & ſequitur *Menochius conſ. 89. num. 115. vol. 1. & conſ. 211. num. 123. vol. tertio.* Sed meritò hanc limitationem rejiciunt *Surd. conſ. 133. num. 26. & duplici ſequenti Ludovicus Morot conſ. 22. nu. 4. in fine uſque ad 10.* quia cùm ea renunciatio habeat tacitam conditionem, ſi hæreditas deferatur parenti, & non ſit delata, corruit eo ipſo, & non obeſt ſucceſſioni nepotum.

47 Quartò limitatur, quando nepos agit ut parentis renunciantis hæres: tunc enim, cùm agat tamquam hæres, nequit contra factum parentis venire, ejus renunciationem improbans. Quem caſum admittit dicens eſſe abſque dubio; *Surdus* citatus *conſ.133. nu.29.* & idem tenet *Seraphinus privil.21. num. 39.* & ſimiliter idem *Surdus* admittit ibi cum *Franco*, & *Bellonio*, quando parens renunciaſſet pro ſe, & pro ſuis hæredibus, tunc nocere his nepotibus, qui vellent eſſe illius parentis hæredes. Quod etiam tradit *Gaſpar. de Leon.* inter conſilia diverſorum collecta à *Baptiſta Martianeſio conſil. 77. num. 11. vol. 1. & Guido Pancirol. conſ.52. nu. 9. vol. 1.* Sed jure optimo impugnat utrumque caſum *Ludovicus Morotius* relatus *numero præcedenti* plura allegans, & *Vincent. de Franchis deciſ. Neapolit. 67. à num. 7. uſque ad finem.* Quia cùm illa renunciatio habeat tacitam conditionem, ſi hæreditas deferatur, ut dictum eſt, nec ea delata ſit, eſt perinde prorſus, ac ſi numquam facta fuiſſet, ac ſubinde ab ea, tamquam ab omnino viribus deſtituta, nullum fundamentum ſumi poteſt, quia non entis nullæ ſunt qualitates, *l. ejus qui, ff. ſi certum petatur*, & reſoluto actu cenſentur reſoluti omnes effectus ab eo dependentes, perinde ac ſi numquam factus fuiſſet *l.1. §. ſive autem, & l. penult. ff. de condit. l. voluntate, ff. quibus modis pig. vel hypoth.*

48 Ex qua ratione deducitur rejiciendam quoque limitationem, quam tradit *Aymon. conſ. 703. col.2.* nempè, ut excludantur nepotes, quando parens renuncians promiſit evictionem pro bonis, quibus renunciarat: tunc enim ait ligari hæredes renunciatione parentis, utpotè qui ejus evictionem, & factum præſtare tenentur, juxta *reg. ex qua perſona, ff. de regul. juris.* Sed meritò eam reprobat *Ludovic. Morotius* relatus *numero præcedenti* propter rationem ibi traditam.

49 Ultima difficultas eſt, an renunciatio hæreditatis futuræ jurejurando ſtabilita revocetur, eo quod renuncianti naſcantur poſtea filii; juxta text. *l. ſi umquam, C. de revocand. donat.* Qua in re certum ſtatuendum eſt, renunciationem hæreditatis jam aditæ revocari nativitate filiorum. Quia, cùm per aditionem illam hæreditas ſit jam effecta propria renunciantis, eſt vera donatio rei omninò acquiſitæ. Et ita dicit nullum eſſe dubium *Molina Societatis JESU tomo 3. de juſt. diſp. 579. nu.24.*

50 Sed difficultas eſt, quando hæreditas eſt delata, ſed nondum adita, aut quando nec delata eſt. Quæ quidem difficultas locum habet, quando ea renunciatio non præjudicat filiis natis, juxta ea, quæ diximus *num.38.* Nam quando natis præjudicat juxta dicta *num.35.* manifeſti juris eſt, à fortiori præjudicare naſcituris, ut benè expendit *Gutier. cap. quamvis pactum §. ultim. num.6.* In hac ergo difficultate *Molina lib. 2. de primog. c. 3. à num. 38. uſque ad 46.* ſic ait diſtinguendum. Aut ea renunciatio facta eſt aliquo ob eam accepto, aut gratis: ſi aliquo ob eam accepto, non revocatur nativitate filiorum, quod hæc non ſit ſimplex, ſed ob cauſam donatio: at in donatione ob cauſam non habet locum *d. l. ſi umquam*, ut reſolvit ibi *Ripa q.13. n. 24. & 25. & Tiraquel.* alios allegans *verb. donatione largitus, in nova edit. num. 141. & ſequentibus Roland. conſ. 11. num. 32. vol. 1.* Si verò gratis facta eſt, revocatur nativitate filiorum ſive hæreditas ſit jam delata, ſive non; quia clariſſimum eſt fore, ut renuncians paternæ hæreditati favore primogeniti, aut cujuſvis, minimè renunciaret, ſe liberos habiturum cogitans, ſed mallet illam ad filios ſuos, quàm ad fratrem; aut quemvis alium deferre. Quæ eſt ratio præcipua, ſeu unica deciſionis *illius l. ſi umquam*, ut ex pluribus oſtendit *Tiraq. ibi, in nova edit. in præfatione, num. 3. & 14. & verb. libertis, num. 42.* Cùm ergo militet eadem ratio, debet quoque militare eadem diſpoſitio: quippe eam legem ex rationis identitate extendendam de caſu ad caſum, probat ex pluribus *Tiraquel. eod. ver. libertis, in nova edit. à num.44. qui num. 63.* ait, id eſſe verum, quamvis major ratio verſetur in caſu lege expreſſo. Et tandem concludit *Molina num. 46.* hanc ſententiam eſſe veram, quando renunciatio hæc facta fuit favore primogeniti, aut cujuſcumque perſonæ determinatæ: ſecus quando facta ſit ſimpliciter, & non favore certæ perſonæ, & ait magis deliberandum de hoc, cùm caſus occurrerit, ob opinionum variationem. Et addit abſurdiſſimum eſſe aſſerere diſpoſitionem *d. l. ſi umquam*, non procedere in renunciatione gratuita hæreditatis jam delatæ; qua ratione id ipſum, ait dicendum in hæreditate nondum delata, quia eſt quaſi debita. Hujus etiam ſententiæ eſt *Baeza* de non meliorandis filiab. *c. 10. num.102.* ubi expreſsè ait, renunciationem legitimè revocari nativitate filiorum. Idem ait *Cacheran. conſ. 77. num.20.* loquens de renunciatione hæreditatis parentum viventium, ductus hoc ſpeciali fundamento, quod renunciatio habeat tacitam conditionem, ſi hæreditas renunciati deferatur, ac proinde refertur in tempus, quo delata eſt hæreditas: & ſic eſt renunciatio hæreditatis delatæ, quæ vera donatio eſt. Et hoc eodem fundamento utens, dicit hoc eſſe tutiſſimum *Simon de Pratis conſil. 150. num.39. vol. 1.* ubi & alios refert.

51 Cæterum probabiliùs eſt eam renunciationem ſive hæreditatis delatæ, ſive nondum delatæ, non revocari nativitate filiorum, ſive aliquo accepto, ſive gratis fiat. Ducor; quia ea renunciatio (ut optimè ajunt *Covarruvias 4. decretal. 2. p. c.6. §. 8. num.17. ad fin. Molina tom. 2. de juſt. diſp. 282. col.2. verſ. quo loco obſerva renunciationem donationis nativitate filiorum ſtatutam d. l. ſi umquam*) non habet vim ex ſola præſumpta donantis voluntate, ſed multum etiam adjuvatur lege ipſa poſitiva, quæ tum ob eam præſumptam voluntatem, tum etiam in bonum filiorum id ſtatuit. Quare ut ei deciſioni à jure exorbitanti (eam enim eſſe exorbitantem tenent multi, quos refert *Tiraquel. ibi, in nova edit. verb. libertis, num.26.*) locus ſit, oportet veram eſſe donationem rei, cujus dominium erat acquiſitum donanti: quia expreſsè loquitur de donatione, & præterito utitur verbo (revertatur) quod, non poteſt adaptari, niſi iis, quæ fuerunt in alienantis dominio. Sed hæreditas quantumcumque delata ſit, nedum quando delata non eſt, minimè eſt in renunciantis dominio per jura vulgaria, ſed pendet, ut ſit donantis, ab ipſius acceptatione: ergo ea hæreditatis renunciatio non comprehenditur in illa *l. ſi umquam*, & hinc ſolvitur ratio contraria. Præterea, quia ea renunciatio valet inter conjuges, ut probavi *lib. 6. de matrim. diſp.4. nu. 2.* eo quod inter illos ſola vera donatio interdicta ſit: quia illis non eſt renunciatio hæreditatis delatæ, ſed nondum aditæ. Præterea, quia quamvis interdicta ſit donatio in creditorum fraudem, non clauditur in ea prohibitione renunciatio hæreditatis tantum delatæ. Et ideo hujus ſententiæ partim eſt *Ripa ea l. ſi umquam, qu. 11. numer.20.* ubi ait non revocari renunciationem hæreditatis nondum delatæ; ſecus quando jam delata eſt, licèt non adita. *Tiraquel. ibi, verb. donatione largitus, in nova edit. num.180. & ſequentibus*, ubi generaliter probat, eam legem ſolùm habere locum in renunciatione juris jam quæſiti, non autem quærendi. *Decius l. 1. num. 11. ad finem, C. de pactis, & conſ. 53. à num. 24. uſque ad 28. vol.4. Jaſon & Rubeus* quos refert, & ſequitur *Tiraquel. eo ver. donationes largitus, in nova edit. num. 186.* ubi dicunt renunciationem donationis jam factæ nondum tamen acceptatæ, non revocari nativitate filiorum. *Ruin. conſ. 60. num. 14. vol. 3. Roland. conſ. 11. num.23. uſque ad 30. vol. 1.* Ejuſdem ſententiæ ſunt *Covarr. c. quamvis pactum, p. 3. §. 3. num.8. Azor. tom. 2. inſtit. moralium, lib. 3. c. 14.* ubi abſolutè dicunt renunciationem hæreditatis non revocari nativitate filiorum, quamvis enim videantur loqui de renunciatione fœminæ in matrimonium collocandæ, non gratis, ſed ob dotem receptam facta, loquuntur enim de renunciatione in illo textu contenta, quæ eſt hujuſmodi, & ſic probant, eo quod ſit facta præmiſſa liberorum cogitatione: at verè videntur hujus ſententiæ, quia utuntur ea ratione ad probandam ſuam ſententiam, quod hæc renunciatio non ſit juris quæſiti, ſed quærendi. Quæ ratio in univerſum procedit in quacumque renunciatione hæreditatis nondum aditæ; & in propriis terminis tenet *Menchaca* exprimens, quamvis hæreditas ſit delata, ſed nondum adita, *lib.2. de ſucceſſ. creat. §. 18. nu. 521.* quod idem indiſtinctè tenuerat *l. ſi quando, §. illud, nu. 56. verſ. amplia ſecundò, C. de inoffic. teſtament.* & melius cæteris, in propriis terminis, reprobato altero *Molin.* tenet *Molina Societatis JESU, tom. 3. de juſtitia diſp. 579. num. 24.*

52 Non

52 Non tamen approbo quod, dicit *Barthol. Socin. conſ. 53. num. 27. vol. 4.* ubi ait, ceſſionem in alterius favorem factam hæreditatis illius non revocari nativitate filiorum, quia quamvis contineat tacitam acceptationem, quia tamen erat momentanea, & non ad finem retinendi, ſed ſtatim repudiandi, non eſt in conſideratione. Sed jure optimo illum reprehendit *Ripa d. l. ſi umquam quæſt. 11. num. 21. & Roland. d. conſ. 11. num.25. Machambrunus ab Anguillar.* alios allegans *conſ.30. num.399. & duplici ſequenti tomo 1.* Nec obſtat fundamentum *Socini*, quia momentanea acquiſitio tunc non eſt in conſideratione, quando nullum effectum parit, ſecus quando illum parit; & conſtat ex iis, quæ diximus *lib.6. de matrim. diſp.4. nu.16. & 17.*

53 Sed dubitatur, an legato relicto alicui, ſi profeſſus fuerit in religione, poſſit ipſe renunciare? Quod non poſſit, oſtenditur, quia perinde eſt legare alicui profeſſuro ſub conditione profeſſionis futuræ, ac legare ipſi religioni; quia in ultimis voluntatibus implementum conditionis non retrotrahitur, ſed inſpicitur tempus, quo illa impletur, ut probavimus *lib.2. hujus operis c. 14. num. 15.* ac proinde ita ſe habet, ac ſi acquireret poſt profeſſionem; & ita hæc ſpes nullius eſt conſiderationis reſpectu ipſius, cum ſit ſpes rei, cujus acquirendæ eſt incapax. Sic *Benedictus Ægid. l. Titia, ſi non nupſerit 100. part. 1. nu. 51. ff. de condit. & demonſtrat.* qui addit: ſi legatum eſſet relictum ſub quavis alia conditione, quæ poſſet etiam ante profeſſionem impleri, valeret renunciatio, etſi poſt profeſſionem impleatur conditio, ut expreſſis verbis docet *Covarr. de pactis 3. parte §. 2. nu. 3. verſ. non oberit*, fideicommiſſo conditionali, quando quiſpiam gravatus eſt reſtituere poſt mortem mihi, poſſum ante profeſſionem renunciare, & ſic non acquirit monaſterium, etiamſi conditio impleatur poſt profeſſionem. Ratio eſt, quia tunc habet legatarius ſpem, & jus ſuccedendi in legato adimpleta conditione, quod jus poteſt interim renunciando à ſe abdicare. Ergo addo ſecus dicendum eſſe, ſi ex contractu deberetur aliquid dependenter à profeſſione futura: ut ſi promiſi dare tibi aliquid, ſi profeſſus fueris: tunc enim valebit renunciatio, & non ſuccedet monaſterium, quia, cùm in contractibus conditio retrotrahatur ad tempus contractus initi, eſt perinde, ac ſi conditio eſſet impleta à principio. Accedit hanc non eſſe conditionem poteſtativam, ſed mixtam, cum pendeat à voluntate monaſterii, & futuro eventu. Faciunt quæ de confiſcatione diximus loco citato *lib.2. hujus operis c.14. nu.2. & ſequentibus.*

54 Tandem duo obſervanda ſunt. Prius eſt: hæc omnia toto hoc *c. dicta* de renunciatione hæreditatis aſcendentium facta à deſcendentibus, pari ratione procedunt in renunciatione ab aſcendentibus facta reſpectu hæreditatis deſcendentium *l. 1. §. ſi parens, ff. ſi quis a parent. fuer. manumiſ.* Sic *Gloſſa l. pactum dotale, 3. verb. improbatur, C. de collat.* & ibi ſcribentes, & multos allegans contra *Baldum* tenet *Antonius Gomez l. 22. Tauri, nu.3. Tello l.6. Tauri, nu.64. Molina lib.2. de primog. c.3. nu.48. Gutierr. de juramento 1. p. c.19. n. 4. Molina Societatis JESU tom.3. de juſtitia diſp.579. numer.13. verſ. eo verò ipſo.*

55 Poſterius eſt: in omnibus caſibus, in quibus hucuſque diximus renunciationem corruere, & renunciantem ſuccedere in bona, quibus renunciarat, ſuccedet eodem modo in illa monaſterium ſuccedendi capax in quo renuncians ille jam profeſſus eſt. Quod nemo negabit, quia in omnia jura profeſſi ſuccedit monaſterium, ut in ſequentibus eſt latè tractandum.

CAPUT VIII.

Qualiter profeſſis interdictum ſit teſtari.

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint? num. 1.
Profeſſis interdictum eſt teſtari, nu.2.
Quid ad pias cauſas? nu.3.
Quod jure interdicatur illis teſtari? nu.4.
An Prælatus Pontifice inferior poſſit in hoc diſpenſare; aut Prælatus cum conventu? nu.5.
An poſſit teſtari ex ſuperioris licentia de rebus alienis, accedente domini conſenſu? num.6.
An ſi tunc profeſſus teſtetur, teneatur dominus legata implere? num.7.
Poteſt non tamquam teſtator, ſed tamquam perſonarum elector mortis tempore diſponere, nu.8.
An poſſit ex licentia ſuperioris codicillos facere? num.9.
An poſſit donationem cauſa mortis facere ex ſuperioris licentia? refertur quædam ſententia, nu.10.
Proponitur ſententia auctoris, nu.11. & ibi quid de fratribus Minoribus.
An poſſit Prælatus concedere religioſo, ut ſcriptum relinquat quid fieri velit de ſuis bonis? nu.12.
An ex contractu Prælati cum religioſo, vel domini cum ſervo oriatur naturalis obligatio, aut civilis? idem eſt dicendum de utraque obligatione, nu.13.
Refertur quædam ſententia, num. 14. & 15.
Explicatur ſententia auctoris, nu.16. 17. & 18.
An profeſſus poſſit teſtari, quando tempore profeſſionis reſervavit ſibi aliqua bona, de quibus teſtari valeat? nu. 19.
An profeſſus poſſit primogenium inſtituere? num.20.

1 QUatuor circa hoc diſputanda ſunt. Primum eſt in genere, an profeſſis interdictum ſit teſtari? Et de hoc eſt præſens caput. Secundum eſt, an profeſſo habenti aſcendentes aut deſcendentes liceat inter illos teſtari? Tertium, an à tempore profeſſionis debeatur legitima patris profeſſi filiis, vel filii profeſſi parentibus? Ultimum eſt, an profeſſo integrum ſit teſtamentum ante profeſſionem factum revocari, aut declarare? Et de his tribus diſputabitur triplici capit. ſequenti. Præſens autem diſputatio triplicem quæſtionem enodandam petit. Prima eſt. An quævis diſpoſitio per ultimam voluntatem ſit interdicta profeſſis, & quo jure? Secunda eſt. Quibus religioſis id interdicatur. Tertia. An ex Pontificis licentia integrum ſit religioſis teſtari, & qualiter ea licentia intelligenda ſit?

2 Prima ergo quæſtio eſt. An quævis diſpoſitio per ultimam voluntatem ſit interdicta profeſſis, & quo jure? Certiſſimum apud omnes eſt, profeſſis interdictum eſſe teſtari, & teſtamentum factum ab ipſis fore irritum. Conſtat ex *authent. ingreſſi C. de ſacroſanct. Eccleſ. & c. quia ingredientibus 19. q. 3. & c.2. de teſtament. & l. reg. 17. tit.1. part. 6.* Hujus autem ratio redditur *ea authent. ingreſſi*, quia profeſſi proprium non habent. Quæ ratio non caret difficultate, quia res aliena legari poteſt: & competit legatario actio ad illius rei æſtimationem adverſus hæredem *l. cum alienam, §. ſi res aliena, C. de legat. & §. cui fundus, cum ſequenti inſtit. de legat.* Quare ea ratio ſic intelligitur: nequit profeſſus teſtari, quia nec proprium habet, nec proprii habendi eſt capax: cum enim teſtari ſit quidam dominii actus, incapax dominii eſt quoque teſtandi incapax, quamvis capaces dominii, quantumvis bonis temporalibus deſtituti ſint, teſtari poſſint: ut benè cum aliis explicat *Tapia ea authent. ingreſſi. verb. ideoque nec de his c.1. num. 80.*

3 Nec id licet, quamvis ad pias cauſas teſtari velint, quod probant textus adducti *num. præced.* cum indiſtinctè loquantur; & ratio, cui ea deciſio innititur, id in hoc etiam eventu probat. Atque ita docent *Bart. l.1. quæſt.3. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Bald. num.15. Abbas rubrica de teſtam. in fin. Francus eadem rubr. in 6. num. 74. Roſel. verb. teſtamentum 1. num. 5. Sylveſt. verb. teſtamentum 1. quæſt.4. ad fin. Armil. verb. teſtamentum num. 2. ad fin. & ibi Tabiena quæſt.2. nu. 3. Navarr. comment. 2. de regular. num. 22. corol. 10. Magdalenus de numero teſtium 2. part. c.4. in fine, Tapia d. authent. ingreſſi verb. ideoque nec de his, c. 1. nu. 5. Manuel q. reg. tomo 3. q.69. art.2. Graff. 2. p. deciſ. lib.3. c.19. nu.85. Peregrin. conſ.53. n. 10. volum.2.*

4 Hæc autem teſtandi prohibitio eſt ſolo jure humano inducta, tum quia juxta veriorem ſententiam ſolo jure humano redduntur inhabiles religioſi ad dominium habendum, tum etiam, quia eſto eſſent dominii incapaces ex jure naturali divino, ut tenet alia ſententia: at cum de re aliqua diſponere ex ſuperioris licentia non ſit actus dominii, nec ad ſic diſponendum reddatur incapax ratione voti paupertatis religioſus, poſſet utique teſtari de quantitate aliqua moderata, attento jure naturali divino ex licentia ſui ſuperioris, non obſtante voto: ſicut ex eadem licentia poteſt inter vivos quantitatem aliquam moderatam donare. Quare tota hæc prohibitio ſive unam, ſive aliam ſententiam amplectamur, ad jus humanum referenda eſt. Atque ita tenent *Paulus auth. ſi qua mulier, nu.5. in fine, C. de ſacroſanct. Eccleſ. Gregor. Lop. l. 53. verb. que los ganen. tit. 6. partit. prima Azor tomo 2. inſtit. moralium lib. 12. c. 6. q. 5.* & pro hac parte ſunt Doctores omnes, quos infra referemus dicentes, poſſe religioſum ex licentia Pontificis teſtari; conſequenter enim tenentur dicere prohibitionem hanc eſſe ex jure humano.

5 Hinc deducitur, nullum Prælatum ſummo Pontifice inferiorem diſpenſare poſſe cum religioſo profeſſo, ut teſtetur (qualiter autem Pontifex hoc poſſit, dicemus ſtatim) quod prohibitio hæc à jure Pontificio dimanet, ac æquè afficiat ipſomet Prælatos regulares. Atque ita docent *Abb. c. in præſentia, num.61. de probat.* & ibi *Pariſ. numer.17. Franc. rubr. de teſtament. in 6. num.65. Bertrand. conſ. 116. num.3. & 9. & conſil. 16. num.2. vol.3. in priori parte, Tabiena verb. religio q.42. Fulv. Pacianus conſ.36. num. 103. tomo 1. Botta conſ. 102. num.56. vol.1. Navarr. comment. 2. de regular. num.44. & num. 22. corol.10. Leonardus lib. 2. de juſtitia c. 41. dub. 8. nu.73. & c. 19. dub.4. num.40. Manuel. q. regular. tomo 3. q.69. art. 1. & tomo 2. ſumma c. 32. nu. 1. & 2. Tapia authent. ingreſſi verb. ideoque nec de his c. 1. nu.4. & 27. Avendanno de exequend. mand. Reg. part.1. cap. 4. num. 34. verſic. 3. requiritur Molina tomo 1. de juſtitia diſputatione 141. col. pen. verſ. dubium eſt. Azor tomo 1. inſtit. moral. lib. 12. c.9. quæſt. ultima. Graffis 1. part. deciſ. lib. 3. c. 5. num.59.* Quare nec Prælatus cum conventu eam licentiam dare poteſt, ut benè tradunt *Bertrand. eod. conſ. 116. num. 2. Navarr. eod. comment. 2. num.22. corol. 10. Tapia eodem num.27. Manuel eo art. 2.* nec Capitulum generale *Ful. Pacianus eo num. 103.* Quod ſi apponas, monachum poſſe in vita aliquid modicum annuente Abbate donare: ergo & poteſt via teſtamenti donare poſt mortem. Reſpondeo, diverſam eſſe rationem, quia teſtamentum eſt jus, & facultas, qua teſtator explicat ſuam voluntatem poſt obitum ſuum exequen-

quendam, quod interdixit jus eccleſiaſticum tamquam ſapiens naturam dominii: At non interdixit donationes modicas in vita ex ſuperioris licentia: id enim poſſe fieri eſt valde convictui humano neceſſarium. Unde minus benè *Navarr. lib. de redditibus q. 3. in prima edit. num. 28. in 2. eadem q. 3. monit. 11. nu. 4.* quem ſequitur *Lud. Lopez 1. part. inſtruct. c. 154. col. ultim. verſ. alii verò*, dicit poſſe ſuperiorem religionis concedere hanc licentiam religioſo, qui multa bona dedit religioni. Sed melius ipſe *Navarr. comment. 2. de regul. nu. 38.* dicit Prælatum religionis poſſe in hoc caſu concedere facultatem, ut diſponat in vita, ſolum verò Pontificem, ut diſponat in morte.

6 Nec etiam poteſt teſtari ex ſuperioris licentia de rebus, quæ nec monaſterii, nec monachi illius ſunt; accedente eorum, quorum ſunt propriæ, conſenſu. Quamvis enim hoc nil aliud videatur, quam eſſe procuratorem, aut exequutorem alienæ voluntatis, quod integrum eſt religioſo ex ſuperioris licentia: at longè diverſa eſt ratio; nam exequi, & procurare inituntur perſonæ alterius, ejuſque nomine fiunt. At teſtamentum illud fit nomine proprio, eſtque proprium perſonæ teſtantis, perinde ac ſi ſæcularis proprium teſtamentum conficeret, diſponens de re aliqua ex domini conſenſu. Item, quia aliàs poſſet teſtari de rebus monaſterii ad opera pia, conſentiente Prælato, ſicut poſſet Prælatus eas impendere, aut dare licentiam impendendi inter vivos. Atque ita tradunt *Navarr. comment. 2. num. 57. de regularibus*.

7 Quamvis autem teſtamentum hoc profeſſi de rebus alienis ex domini conſenſu non valeat, poſſet tamen conſenſum præſtans compelli ad exequenda relicta in eo teſtamento, non quaſi debita ex ultima voluntate monachi, quæ ineſſicax fuit, ſed ex quadam exequutione mandati concedentis prædictam facultatem incapaci teſtandi. Quippe qui eo ipſo quod eam facultatem conceſſit, videtur ſe obligaſſe ad ea exequenda, quæ religioſus ut ſui mandati exequutor diſpoſuerit. Facit *l. qui patitur 18. ff. mandat* ibi *qui patitur ab alio mandari, ut ſibi credatur, mandare intelligitur*. Sic *Navar. eo comment. 2. num. 57. Tapia ea authent. ingreſſi, verb. ideoque nec de his, c. 1. nu. 27.*

8 Imò, ut docet *Fulvius Pacian. eo conſ. 36. num. 103. uſque ad* 108. poteſt aliquid relinqui monacho cum facultate tempore mortis diſponendi de eo inter conſanguineos, non per teſtamentum aliquod ſolemne, ſed per electionem perſonarum, ad quas debeat pertinere, quod ita relictum fuerit; atque ita non diſponet tamquam teſtator, ſed tamquam perſonarum elector.

9 Nec etiam poteſt profeſſus ex ſuperioris licentia codicillos facere; quia, qui de jure teſtari nequit, non poteſt etiam codicillos facere *l. Divi 6. §. penult. in fin.* & *ibi Gloſ. verb. teſtamentum & l. ſi quis 3. paulò poſt principium & ibi Gloſ. verb. factionem & l. regia 6. tit. 12. p. 6. & ibi Greg. Lop. verb. de catorze*, & in propriis terminis docent *Petrus de Bellapert. authent. ingreſſi q. ult. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Albericus nu. 31. Odofred. nu. 10. in fin. Signorol. num. 35. Tapia verb. ideoque nec de his c. 1. num. 64. Navarr. commen. 2. nu. 43. & 44. de regular. & ſumm. Latina, c. 27. num. 270.*

10 Sed major difficultas eſt, an poſſit donationem cauſa mortis facere ex ſuperioris licentia? Quidam negant, tum quia hujuſmodi donatio eſt quædam ultimæ voluntatis ſpecies: tum etiam, quia non potens de jure teſtari, nequit etiam donare cauſa mortis, ut tradit *Gloſſa l. tam is, 25. verb. non facit, ff. de donation. cauſa mortis*. Atque ita docent *Navarr. lib. 3. conſil. in 1. edit. de donationib. conſ. 6. num. 3. in 2. lib. 2. tit. de præſumpt. conſ. 2. num. 3.* & duplici loco, quem *numero præcedenti* allegavimus. *Manuel qq. regularib. tomo 2. q. 46. art. 7. ad fin. & 1. tomo ſumm. in 2. edit. c. 90. nu. 7. concl. 2. Angul. de meliorat. l. 1. gloſſ. 3. nu. 15. Graff. 1. p. deciſ. lib. 3. c. 5. nu. 58. & 2. p. lib. 3. c. 16. Præpoſit. c. nulli dubium nu. 20. & 21. quæſt. 5.*

11 At probabiliùs exiſtimo poſſe ex ſuperioris licentia donare cauſa mortis quid moderatum, ſicut & ex eadem poteſt donare inter vivos. Ducor, quod jura ſolùm teſtamentum interdicant profeſſis, ut conſtat ex textibus *num. 2.* allegatis. At tunc ſolùm nequit donare cauſa mortis, cui teſtari interdicitur, cùm ex defectu naturali teſtari non valet, ita ut nec inter vivos donare poſſet, ut cum *Imola, & Ripa*, ſic intelligentes *Gloſſam* allegatam *num. præcedenti*, tradunt *Covarr. rubr. de teſtament. p. 3. nu. 11. ad fin. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 10. l. 7. gloſſ. 2. nu. 34.* At profeſſus non eſt hujuſmodi; ex ſolo enim jure poſitivo interdicitur ei teſtari ex ſuperioris licentia, propter accidentarium defectum ex voto paupertatis conſurgentem, qui non impedit donare inter vivos ex ſuperioris licentia. Secundò, quia hæ poteſtates non ſunt connexæ: ſtat enim poſſe quempiam teſtari, non tamen donare cauſa mortis; ut conſtat in uxore quæ abſque viri licentia poteſt teſtari, cùm tamen juxta frequentiſſimam ſententiam, & probabiliſſimam nequeat abſque ea donare cauſa mortis. Quam tenet *Covarr. eadem rubrica part. 3. num. 12.* & multi alii, quos refert *Matienzo eadem gloſ. 2. num. 19.* Quippe donatio cauſa mortis quoad ſui initium, & ordinationem magis aſſimilatur contractui, quàm ultimæ voluntati: è contrà filiusfamilias attento jure communi, & regio antiquo teſtari nequit de bonis adventitiis conſentiente patre, cùm tamen poſſet donare cauſa mortis; ut utrumque habetur *l. tam is 23. ff. de donation. cauſ. mort. l. final. tit. 4. parte 5.* Non ergo ex prohibitione teſtandi facta religionis rectè deducitur prohibitio donandi cauſa mortis. Tandem, quia non video, cur religioſus poſſit ſtatim donare alii librum ex ſuperioris licentia, & nequeat illum eidem cauſa mortis donare, ut poſt mortem habeat effectum, & confirmetur ea donatio. Atque ita docent Petrus, quem refert, & ſequitur *Cynus authent. ingreſſi quæſt. ultima, num. 14.* & ibi *Barthol. in 2. lectura, num. 66. Petrus de Bellapert. quæſtione ultima & ibi Tapia verb. ideoque nec de his cap. 1. num. 4. Suarez allegatione 20. num. 27. in fine, Gratianus regula 456. num. 4.* Et quamvis hi Doctores dicant eſſe neceſſariam licentiam Abbatis cum conventu, eo quod Abbas non ſit dominus, ſed adminiſtrator; at conventus eſt quaſi dominus. At loquuntur caſu, quo ſolus Abbas nequit dare licentiam ad alienandum inter vivos, quod huic ſententiæ non adverſatur: dicimus enim, quando res eſt adeò moderata, ut ex licentia ſoliùs ſuperioris poſſit dari inter vivos, poſſe quoque ex eadem licentia dari cauſa mortis, & quando ad prius exigitur conſenſus conventus, exigi quoque ad poſterius. Huic ſententiæ etiam favet *Pariſ. cap. in præſentia, num. 172. de probat.* quamvis enim dicat non poſſe profeſſum ex licentia Abbatis donare cauſa mortis; innititur tamen ei fundamento, quod hæc donatio ſit alienatio: At Abbas nequit bona conventus donare. Quare apertè loquitur, quando alienatio eſt tantæ quantitatis, quantæ alienari nequit ex Abbatis licentia. Nec puto id quoque interdici fratribus Minoribus, quia nulla eſt ſpecialis prohibitio illius facta.

12 Hinc deducitur non eſſe integrum Prælatis dare licentiam monacho ſcribendæ ſchedulæ, qua diſponat quid de ſuis bonis faciendum ſit poſt mortem eo animo, ut vim habeat teſtamenti, aut codicilli ea diſpoſitio; ſecus quando non eo animo, ſed ſolum rogat Prælatum, ut ſic diſponat pro ſua libera voluntate. Cum enim liberum maneat ſuperiori ſic diſponere, & quod poſtea fecerit, vim non habeat ex defuncti diſpoſitione, non eſt teſtamentum, nec codicillus; quare id licitum eſt etiam fratribus Minoribus. Atque ita docent *Navarr. ſumma Latina, cap. 27. num. 270. & comment. 2. de regular. numer. 22. corol. 10. Graffis prima parte deciſ. lib. 3. cap. 5. num. 58. & part. 2. lib. 3. cap. 19. nu. 14. Manuel quæſtionum regular. tomo 3. quæſtione 69. art. 2. in fin. & art. 3. in fine.* Addunt tamen *Navarr. Graffis, & Manuel eo. art. 2.* id non eſſe integrum, ſi ea ſchedula vim habeat donationis cauſa mortis. Sed loquuntur conſequenter ad ſententiam, quam ex utroque retuli *num. 10.* At tenendo noſtram, quam *nu. præced.* amplexi ſumus, liceret donare cauſa mortis ex ea licentia, ex qua poſſet ſimilia profeſſus donare inter vivos.

13 Sed non modica difficultas eſt, an ſi Abbas promittat monacho ſe eam diſpoſitionem non per modum teſtamenti, aut codicilli factam impleturum, teneatur implere? Hæc difficultas pendet ex alia, nimirum, an dominus promittens ſervo obligetur ad ſtandum promiſſis; Quia à ſervo ad monachum valet in hoc argumentum; & eadem eſt ratio de utraque obligatione, et videntur docere *Innoc. c. cum olim num. 3. de privilegiis. Bartol. l. prima, in principio num. 3. & §. ſi fructuarius num. 4. ff. de ſtipulat. ſervor. Abb. conſ. 104. num. 3. volum. 1.* & tenet expreſsè *Jaſon l. interpoſitas, num. ultim. C. de tranſact.* & ſic Doctores multi ex allegandis de utraque obligatione ſimul diſputant, & ex una alteram inferunt. Et ratio eſt, quia neuter eſt ſui juris, & ſicut ſervus eſt ſub domini poteſtate, ita religioſus ſub ſui Abbatis poteſtate. Quare aut utraque ſubjectio, aut neutra impedit oriri obligationem.

14 Circa obligationem ergo, quæ oritur ex pacto domini cum ſervo, ſunt aliqui textus, qui inter ſe pugnare videntur. Nam *l. interpoſitas 13. C. de ſacroſanct.* dicitur nullam oriri obligationem ex domini pacto cum ſervo, ibi. *Nec dubii juris eſt dominus cum ſervis ſuis paciſcentes, ex placitis teneri, atque obligari non poſſe.* Cui conformis eſt *leg. reg. 6. titul. 11. par. 5.* ibi. *Otro ſi dezimos, que el ſennor à ſu ſiervo, ni el à ſu ſennor no pueden facer prometimiento el uno al otro, de manera que ſe puedan apremiar por aquella promiſſion. E maguer la fizieſſen, no valdria la promiſſion.* Atque idem videtur decidi *leg. cum affirmes 8. C. de liberal. cauſ.* ubi cum dominus accepta pecunia promiſiſſet ſervo libertatem, nec ſtaret promiſſis, dicit textus hic: *aditus Rector provinciæ hortabitur eum placito ſuo ſtare*, ubi clarè ſignificatur id tantum eſſe conſilium; & clarius *leg. poſt certi. 36. C. eod. titul.* & ibi; *poſt certi temporis miniſterium ancillæ, liberam eam eſſe, cum eo paciſcendo, conventionis obtemperandi legi domina nullam habet neceſſitatem*. Sed his textibus videtur opponi *leg. ſi ſervum 70. §. ſi quis, in fin. ff. de acquirend. hered.* ibi; *ſi quis dederit nummos domino, ut manumittatur, puto omni modo huic eſſe ſuccurrendum*. Sed pro concordia horum textuum ſic diſtinguunt auctores: ſi pactum ineat dominus cum ſervo ſuper quacumque re, excepta libertate, non valet indiſtinctè, ut probant textus priores: ſi autem circa libertatem, in duplici ſolo caſu valet. Prior eſt, quando eſt dubium, an ille ſervus, an potius liber ſit; ut conſtat ex *leg. finali C. de tranſact.* Poſterior, quando initur cum domino futuro; & ſic intelligitur textus *d. l. ſi ſervum*, quare non contradicit aliis textibus citatis ſignificantibus, nec circa libertatem valere pactum, quia ſi intelliguntur, quando ſervitus eſt certa, & initur pactum cum domino præſente. Et, ut in

in ſummam redigam, juxta hanc ſententiam dominus ex nullo pacto inito cum proprio ſervo obligatur, niſi ſuper libertate in eo ſolo caſu, in quo eſt dubius ſervitutis ſtatus. Atque ita docent concordantes illos textus *Gloſſa ea. l. interpoſitas verb. non poſſe, & ea. leg. cum affirmes verb. hortabitur, & d. l. ſi ſervum, §. ſi quis, in fin. verb. ſi quis Bart. ead. l. interpoſitas, num. 8. Bald. num. 5. Angel. ibi, ad finem. Paul. ibi, in fine. Jaſon num. ultim. Corneus num. 3. Roman. in fin. Salycet. num. 3. ad fin. Aretin. num. 2. Curt. ſenior nu. 29. Padilla num. 34. & 35.* licèt aliter intelligat, & conciliet eos textus. *Idem Bald. ea. l. cum affirmes, ſtatim in princip. & ibi Salycetus num. unico.* Atque dominum non obligari ex pacto inito cum ſervo tradunt idem *Bart. l. eſt receptum ſtatim in principio ff. de juriſd. omn. jud. & ibi Angel. num. 2. Jaſon num. 7. Alexand. num. 4. Alberic. num. 1. Fulgoſ. num. 1. Zaſius num. 3. idem Bald. cap. cùm contingat. num. 30. de jurejur. Federic. conſ. 259. num. 2. Archidiac. cap. cum paſtoris 2. quæſt. 7. num. 5. & ibi Bellamer. num. 3. Archidiac. cap. final. num. 2. in fine, & num. 3. init. de offi. ord. & ibi Joann. Andr. num. 1. & 2. Dominic. in princip. num. 9. Franc. in principio nu. 3. Abbas cap. ad noſtram num. 9. de confirmat. util. & inutil. c. cum ad monaſterium num. 11. in fine, & num. 12. de ſtatu monac. Angel. in ſua ſumma verb. Abbas num. 24. & ibi Sylveſt. quæſt. 4. num. 7. verſ. & 3. Rebuff. de pacific. poſſeſſ. num. 274. Graffis 2. part. deciſ. lib. 3. cap. 19. num. 80. & 81. Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 20. q. 14.* Sed neque textus, neque Doctores explicant, an loquantur de obligatione civili, & quoad forum externum, an etiam de naturali, & quoad forum conſcientiæ. Solus *Baldus ea. l. cum affirmes, ſtatim in princip.* dicit nullam obligationem neceſſitatis, ſed ſolius honeſtatis ex pacto illo oriri; & ſic obligationem quoque naturalem videtur excludere.

15 Atque idem aliqui ex his Doctoribus ſimiliter dicunt de Prælato reſpectu religioſi, aſſerentes non obligari Prælatum ex pacto inito cùm ſuo religioſo, quia eadem eſt ratio, ac de pacto domini cum ſervo. Sic *Archid.* utroque loco, *Joann. Andr. Dominicus, Franc. Federic. Abb.* utroque loco, *Bellamer. num. 2. Rebuff. Angel. in ſumm. Sylveſt. Azor, & Graff.* ubi allegati ſunt *num. præcedenti. Bald. eo. cap. cum contingat num. 30. & ea. l. cum affirmes, ſtatim in princip. & ea. l. interpoſitas, num. 5. ubi Salycet. num. 3. ad fin. Jaſon n. ultim. Corneus num. 3.* Nec explicant, an loquantur de ſolo debito civili, an etiam de naturali, præter *Baldum ea. l. cum affirmes, ſtatim in princip.* qui dicit nullam ex eo pacto obligationem oriri, præterquam honeſtatis; & ſic videtur clarè naturalem quoque negare.

16 Sed credo & textus, & Doctores loqui de obligatione civili, ac fori externi, quæ non eſt domini ad ſervum. Quod clarè indicant verba *leg. reg. 6. tit. 11. part. 5.* concordantis cum *d. leg. interpoſitas*, ibi. *No pueden fazer prometimiento de manera que ſe puedan apremiar*. Atque ita dicendum eſt, dominum obligari naturaliter, ac in foro conſcientiæ ad ſervandum pactum cum proprio ſervo initum, ut ſi cum eo paciſcatur, ut ex ſuis operis aliquo pretio ſoluto reliquum ſibi ſervus habeat, aut quod ludendo, aut alia ratione compararit, fiat ſuum. Ratio eſt, quia licèt domini ad ſervum ea ratione, qua ſervus eſt, non ſit amicitia, neque juſtitia, ea tamen ratione, qua hoc eſt, utrumque eſſe poteſt, ut docet *Ariſtot. 8. Ethicor. cap. 11.* Idem etiam probat *text. leg. non ſolum. 50. §. ſi ignorante verſ. an debitor. ff. de pecul.* ibi, *an debitor, vel ſervus domino, vel dominus ſervo intelligatur, ex cauſa civili computandum eſt*, ubi textus ſupponit poſſe eſſe debitum domini ad ſervum, & ibi *Gloſſ. verb. ex cauſa*, id eſt, quæ cauſa obligarat civiliter unum liberum alteri libero, eadem ſervum domino, & è contra obligat: licet non teneatur dominus ſervo civiliter, vel è contra, Et licèt *l. nec ſervus 42. ff. eodem titul.* videatur talem obligationem negare, dicens ſervum non poſſe debere, nec illi deberi, explicat ibi *Gloſſa ea. leg. nec ſervus verb. debere*, de obligatione civili, quia ſervum poſſe naturaliter debere conſtat ex *l. naturaliter ff. de condict. indeb.* & clarius id explicat textus *l. ſi id quod 64. ff. de condict. indeb.* ubi habetur dominum ſolventem debita ſervo poſt manumiſſionem, nequire repetere: & ſubditur ratio his verbis: *naturale enim debitum agnovit; ubi Gloſſa verb. in condictione*, ait, inde conſtare naturalem obligationem fuiſſe acquiſitam ſervo in ſervitute conſtituto. Et opponit *l. placet ff. de acquirend. hæreditat.* ubi dicitur acquiſitionem nec momento reſidere apud ſervum, ſed ſtatim ad dominum pertinere. Et reſpondet, intelligi de acquiſitione civili, ſecus de naturali; & *Bart. ead. l. ſi id, quod initio, & in fin.* ait dominum obligari ſervo naturaliter. *Idem Paul. ibi, nu. 10. Jaſon ibi. ſtatim in principio. Bald. cap. cum contingat numer. 30. de jurejuran. Anton. cap. quia plerique numer. 58. Abb. de immunit. Eccleſ. Decius l. in perſonam num. 1. ff. de regul. jur. ibi Abb. num. 11.* & videtur tenere ibi *Innocent. num. 1.* ubi ait, reſtituendum debitum, ſive jure naturali, ac civili ſit debitum, ſive ſolo naturali, quale eſt, quod debetur ſervo. *Alberic. leg. interpoſitas in fine. C. de tranſact. Sylveſt. verb. reſtitutio. 2. verſ. 14. Suar. diſp. unica de juſtitia Dei ſect. 6. in ſolatione 3. difficultatis num. 9. Anchar. cap. quamvis pactum, ſtatim in princip. de pactis in 6. Jacobus de canibus de exequutoribus ultimæ volunt. particula 2. §. conſentaneum modò eſt, num. 3.* habetur 8. *tomo tractatuum par. 1. Humbert. de Bonanco repetit. authent. ſacramenta puberum num. 33. Navarr. lib. 3. conſil. in prima edit. tit. de regular. conſ. 20. num. 13. in 2. tit. de ſtatu monach. conſ. 14. num. 13. Gutier. de jurament. prima part. cap. 41. num. 4. Molin. in differentiis inter forum externum & conſcientiæ different. 18. Ludovicus Lop. lib. 2. de contractibus cap. 40. fol. 487. Molina Societatis JESU tomo 1. de juſtit. cap. 4. dub. 4. num. 16. & 17. Azor tomo 2. inſtit. moral. lib. 2. cap. 36. q. 1. verſ. in primis igitur. Rebel. de inſtit. part. 2. lib. 1. q. 8. ſect. ultim. num. 68. Manuel qq. regular. tom. 3. quæſt. 29. art. 9. Suarez in opuſc. tomo 1. tract. de libertate divina diſput. 2. ſect. 2. nu. 20. in fine.* Qui addit obligationem hanc non eſſe ex juſtitia, ſed ex fidelitate, quia ſervus eſt hujus juris incapax. At melius *Molina Societatis Jeſu, & Leonardus* ibidem dicunt eſſe ex juſtitia, quia dominus cum ſervo paciſcens cedere juri ſuo viſus eſt, ut ex eo pacto obligatio juſtitiæ oriatur, & *Rebel. eod. num. 68.* ait: poſſe ſe dominum ex juſtitia obligare ſervo ea promiſſione.

17 Similiter & Prælatus religionis obligatur naturaliter ex pacto inito cum ſuo religioſo, quia eadem eſt ratio, ac de pacto domini cum ſervo, ut diximus *num. 12.* Atque ita docent *Abb. Navarr. Jacobus de Canibus numer. 5. Manuel* allegati *num. præced. Rebellus de juſtit. p. 2. lib. 1. qu. 7. ſect. 1. num. 12.*

18 Ex his infertur, Prælatum religioſi promittentem illi diſtribuere poſt ejus vitam, ſicut religioſus rogavit, non teneri civiliter ſtare promiſſis; at teneri naturaliter, & in foro conſcientiæ, juxta dicta *num. præced.* Hinc tamen exciperem, niſi promiſſio eſſet diſtribuendi alteri religioſo ſibi etiam ſubdito: ſicut enim rem illi datam poſſe auferre, ita non dare. Similiter hinc excipio, ſi Prælatus ille rem aliquam monacho concederet ad uſum, promittens fore, ut non revocet: credo enim poſſe adhuc revocare, quia nequit concedere monacho rei alicujus uſum à ſuperiore irrevocabilem, utpotè quod pugnat cum paupertate voto. Poteſt etiam ex rationabili cauſa non ſervare promiſſa, ſed revocare, ut benè ait Rebellus ibidem.

19 Tandem eſt difficultas, an poſſit religioſus teſtari quando tempore profeſſionis reſervavit ſibi aliqua bona cum poteſtate teſtandi de illis? *Bald. c. in præſentia, num. 38. de probat.* tenet monachum non poſſe tempore ingreſſus per pactum ſibi reſervare dominium aliquorum bonorum, quia id repugnat regulæ: at dicit poſſe ad id ſolum reſervare, ut de eis poſſit teſtari cum de rebus alienis, annuente domino, poſſit quiſpiam teſtari, *l. ſicut, §. venditionis, ff. quibus modis pig. vel hypoth.* Sed *Jaſon. authent. ingreſſi num. 37. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* contradicit, aſſerens non poſſe concedi monacho, niſi ex permiſſione Abbatis revocabili; quandocumque velit. Sed credo, nec ex permiſſione Abbatis id poſſe: quamvis enim dixerimus ſupra poſſe ex Abbatis permiſſione revocabili reſervare ſibi aliquam quantitatem ad ſuos uſus, vel, ut de ea tempore vitæ diſponat: at nequit, ut de ea teſtetur, quia diſponere in vita poteſt ex Abbatis licentia, non tamen poteſt ex ea teſtari.

20 Ex his deducitur, profeſſum non poſſe primogenium inſtituere, quia eſt actus dominii, & quia is, qui non poteſt contrahere, nec ultimam voluntatem facere, non poteſt primogenium inſtituere. Sic *Molina lib. 2. de primogen. c. 9. nu. 54. Tapia authent. ingreſſi. verb. ideoque nec de his c. 1. n. 73. Manuel qq. regul. tom. 3. q. 69. à nu. 9. Molina Societatis JESU tomo 3. de juſtitia, diſp. 604. num. 4.* An idem ſit poſt vota coadjutorum in noſtra Societate, & tempore novitiatus, poſt vota biennii; dicemus *nu. 23.* Utrum autem habens licentiam teſtandi, à Papa, poſſit majoratum inſtituere, dicemus *nu. 24.* Et utrum id poſſit, ſi habeat aſcendentes, vel deſcendentes, dicemus *c. ſequenti*.

SUMMARIUM.

An Prælatus religionis teſtari poſſit? nu. 21.

An qui vota biennii, aut tempore novitiatus vota emiſere in Societate JESU, teſtari poſſint, aut ſi ſint coadjutores formati? num. 22.

An poſſint ex licentia ſuperioris teſtari, & quis ſuperior poſſit illam concedere? num. 23.

An poſſint hi majoratum inſtituere? nu. 24.

An ſi de facto teſtentur ligati votis biennii, aut prædicti novitii abſque ſuperioris licentia, aut coadjutores formati cùm valeat teſtamentum? nu. 25.

An milites commendatarii ſint domini tam bonorum patrimonialium, quàm reddituum commendarum, poſſintque de illis teſtari, ac primogenium inſtituere? Refertur quædam ſententia, n. 26. & 27.

Sunt veri domini omnium horum bonorum, nu. 28.

Poſſunt liberè de illis diſponere, ſicut ſæculares, nu. 29.

Poſſunt de utriſque bonis liberè teſtari, nu. 30.

Poſſunt majoratum de illis inſtituere, nu. 31.

Lucrantes ab his in ludo non tenentur quicquam reſtituere, numero 32.

In quo conſiſtat votum paupertatis ab his emiſſum, & quando illud tranſgredi dicantur, nu. 33. 34. & 35.

An equites Divi Joannis teſtari poſſint? nu. 36.

An clerici ordinum militarium extra clauſtrum viventes poſſint teſtari, & quid ſi ad clauſtrum redeant, ut ſint triennio ſuperiores? num. 37.

An lucrans ab his in ludo teneatur reſtituere? num. 38.
An religioſus Epiſcopus, vel Cardinalis teſtari poſſit? remiſſivè, num. 39.
Eremitæ an poſſint teſtari? num. 40.
Quid de intra parietes clauſis, & de converſis? nu. 41.
Quid de oblatis? num. 42. & 43.

21 QUæſtio ſecunda. Quibus religioſis interdictum ſit teſtari. Certum eſt id minimè interdici novitiis, ut latè de hoc diximus hoc lib. ſuprà. Nec rurſus eſt difficultas de profeſſis, quin teſtari nequeant, & ſi teſtentur, teſtamentum fore irritum, Atque idem eſt de Prælato regulari, quia prohibitio generalis eſt omnibus profeſſis. Atque ita docent *Francus rubr. de teſtament. in 6. n.65. Decius authent. ingreſſi, Navarr. comment.2. de regular. num.44. Tapia authent. ingreſſi. verb. ideoque nec de his c. 1. num.4. Graſſis 1. p. l.3. c.5. nu.59. Leonard. lib.2. de juſtitia c.19. dub.4. numer.40. & cap.41. dub. 8. nu. 73. Manuel qq. regular. tom.3. q.69. art. 2. init. & 2. tomo ſummæ, c. 32. num.1. & 2.*

22 Primò eſt difficultas de religioſis Societatis JESU. Et quidem ſi ſint coadjutores formati, certum eſt id non poſſe, quia etſi illa vota ſint ſimplicia, reddunt eos incapaces omnis dominii, & poteſtatis teſtandi. Et ſic militat eadem ratio, quam hujus rei aſſignavimus in profeſſis *num.* 19. & tenet *Molina Societatis JESU tomo 3. de juſtitia diſp.*604. *num.*4. Si verò ſint de iis, qui finito novitiatu ſimplicia biennii vota emiſere, eos teſtari non poſſe abſque ſuperioris licentia conſtat. Quare etſi dominium bonorum ſuorum, donec de illis diſponant, retineant: at per votum paupertatis libero uſu ſe privarunt, & quamvis jubente ſuperiore, ut de ſuis rebus diſponant, libera illis relinquatur eorum diſpoſitio; ſi ad ſolas pias cauſas velint inter vivos diſponere: modus tamen, ut ſit per ultimam voluntatem, etſi ad ſolas pias cauſas, non relinquitur liber, quin potius jubente ſuperiore tenentur abdicare à ſe omnia ſua bona ſtatim abſque revocandi ſpe, vel recuperandi, quod ultimæ voluntati convenire nequit, ut diximus ſuprà. Quare delinquerent in id votum, ſi abſque ſuperioris licentia teſtarentur. Atque ita benè dicunt *Molina tomo 1. de juſt. diſp. 139. column. 6. verſ. illi qui tempore, Leonard. libr.2. de juſt. cap. 4. dub. 5. num. 28. Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 12. qu. 8.* Quid autem de novitio Societatis JESU, qui vota emiſit, diximus ſuprà.

23 Ex licentia autem ſuperioris poſſunt tam prædicti novitii, quàm votis biennii ligati teſtari, præter formatos coadjutores. Quia, ut ſuperior poteſt protrahere tempus diſponendi, ita concedere poteſt, ut interim ſolum diſponant per ultimam voluntatem. Atque ita docet *Molina nu. præcedenti* allegatus; idque colligitur ex *Leonardo ibi citato*: docet enim interdictum eſſe teſtari abſque ſuperioris licentia. Quare videtur ſentire id eſſe permiſſum conſentiente ſuperiore. Quod ſi quæras quis ſuperior poſſit hanc licentiam concedere, credo ſolum Generalem, quia cum modus præſcriptus in conſtitutionibus ſit, abdicando à ſe omne dominium, & ſpem bona illa recuperandi, ac ſit omninò præter Societatis morem teſtari, nec reperiatur in regulis Rectoris, aut Provincialis, ipſis conceſſum poſſe hanc licentiam dare, immò utriſque prohibitum novam aliquam conſuetudinem inducere, non poſſent hanc facultatem indulgere. At caſu, quo eſſet periculum in mora, quia videlicet qui ea vota emiſit, eſt in mortis periculo, nec diſpoſuit de ſuis bonis, nec expedit, ut tunc diſponat per donationem inter vivos, poſſet Provincialis, ſi abſque periculo conſuli poteſt, vel quando eſſet periculum in mora, poſſet Rector eam facultatem concedere, ne religioſus ille abſque ſuorum bonorum diſpoſitione decedat. Licentia tamen hæc debet eſſe ad diſponendum in ſola opera pia: & ſi vellet ille diſponere in conſanguineorum favorem, debet eſſe ex conſilio duorum, prout præſcribunt conſtitutiones Societatis JESU, ut diximus ſuprà. Quamvis enim conſtitutio illa loquatur de diſpoſitione inter vivos, at ejus ratio ad hanc quoque diſpoſitionem extenditur, quæ ſtatim per mortem eſt omninò confirmanda. Nec diſpoſitionis hujuſmodi meminit, quaſi ſupponens ejus uſum in Societate non futurum.

24 Difficultas modò, eſt, utrum ii, qui biennii votis ſimplicibus ſunt ligati, poſſint majoratum inſtituere, cum ex licentia ſuperioris poſſint teſtamentum conficere? Reſpondetur, non poſſe etiam ex ſuperioris licentia, quia tenentur ex voto paupertatis diſtribuere in opera pia ex ejuſdem ſuperioris præſcripto: & ita non poterunt majoratum inſtituere ad familiæ conſervationem, quia eſt opus profanum. An verò poſſint ex his bonis aliquod opus pium perpetuum inſtituere: an verò ſi liberos habeant, poſſint, dicemus *ſequenti num.*40.

25 Sed major difficultas eſt, an ſi de facto ligati his votis biennii teſtentur abſque ulla ſuperioris licentia, valeat teſtamentum? *Molina, & Leonardus* allegati *num.*22. aſſerunt teſtamentum fore nullum. Ducuntur, quia, cum hi religioſi non ſint ſui juris: ſed per illa vota transferantur in ſuperiorum poteſtatem, jure teſtandi omninò carent. Nec obſtat eos ad tempus ſuorum bonorum dominium retinere, quia id dominium eſt impeditum ratione voti paupertatis, ne in uſum exeat: ſicut diſpoſitio pupilli abſque licentia tutoris eſt irrita, etſi totum dominium ſit in pupillo; at hoc dominium eſt impeditum translata diſponendi poteſtate. Sed *Azor.* eodem *num.*20. citatus dicit teſtamentum ſolis votis ſimplicibus fortaſſis eſſe firmum, quia etſi peccent contra votum paupertatis ſic teſtando, cum tamen veri illorum bonorum domini ſint, nec dominium ſimplici illo voto ſit ita impeditum, ut ſi in actum exeat, diſponendo abſque ſuperioris licentia, diſpoſitio aliquo jure irritetur, non video cur illud teſtamentum ſit futurum irritum, ſicut matrimonium ab his initum contra votum caſtitatis, validum erat ante conſtitutionem Gregorii XIII. quæ illud caſſavit. Quare non eſt ſimile de pupillo: ejus enim diſpoſitio abſque tutoris auctoritate facta redditur jure humano irrita. Dixi de his, qui ſolis votis biennii ligantur, non de profeſſis & coadjutoribus formatis, quia cum hi coadjutores per ea vota, quamvis ſimplicia, reddantur prorſus dominii retinendi, & acquirendi incapaces; ut conſtat ex conſtitutionibus Societatis JESU, *in exam. c. 4. num.2. & 5. part.6. c. 2. §. 12. & extravag. aſcendente* Gregorii XIII. diſpoſitio facta ab illis abſque ſuperioris licentia, utpotè facta à non domino, eſt irrita: immo, & teſtamentum factum cum ſuperioris licentia. Quia militat eadem ratio, quæ in profeſſis tradita eſt *nu.*2. cum nec proprium habeant nec proprii acquirendi ſint capaces.

26 Secundò dubitatur de Commendatariis militibus, an illis integrum ſit teſtari. Qua in re præmittendum eſt, quale dominium Commendatarii hi habeant in bona, quæ poſſident. Sunt autem duplicis generis hæc bona. Quædam ſunt patrimonialia, quæ ſcilicet hæreditate, aut propria opera, aut donatione acquiſiverunt, ſive ante profeſſionem ſive poſt illam. Alia autem ſunt redditus commendarum, quas habent. Quidam ergo cenſent hos Commendatarios milites non eſſe veros dominos ſive bonorum patrimonialium quocumque tempore acquiſitorum, ſive etiam redditYuum commendarum. Ratio eſt, quia voto ſolemni paupertatis, quod emittunt, ſe dominio uſque tunc acquiſitorum privant, redduntque incapaces dominii in poſterum comparandi: ſic docent *Navarr. comment. 2. de regular. nu. 56. & apolog. ad lib. de redditibus qu.2. monito 12. num. unico. Motta tract. de confirmat. ordin. militi. S. Jacobi, lib. 2. cap. 2. §. 26. num. 21. & §. 18. num. 5. & 11. & in lib. inſtruct. ut commendarii tendant ad perfectionem c. 4. §. 4. num. 49. Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 13. cap. 4. quæſt. 8. & cap. 5. quæſt. 2.*

27 Ex quo deducunt aliqui ex his Doctoribus, non eſſe integrum his Commendatariis teſtari ſecluſo privilegio Apoſtolico, neque etiam poſſe inter vivos de illis bonis diſponere, niſi ea acquiſita ſint ante profeſſionem; & tunc quidem non aliter quam alios religioſos profeſſos poſſe diſponere, dicemus *c. ſequenti*, juxta *authent. ſi qua mulier. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Ratio autem eſt, quia ſunt veri religioſi voto paupertatis aſtricti, nihilque proprium habent, quia privilegia; quæ olim habebant ad teſtandum, caſſata ſunt per motum proprium Pii V. qui incipit: *Romani*. Sic *Navarr. comment. 2. num. 56. de regular.* Quod ſi privilegium ipſis de novo concedatur ad teſtandum, id quidem intelligendum eſt ad diſponendum in opera pia, ut tradit idem *Navarr. ea qu. 3. monito 13. num.*10. non poſſe hos Commendatarios primogenium aliquod inſtituere in favorem divitum quamvis id integrum ſit clericis ſæcularibus ex bonis eorum patrimonialibus, quia hi nullo paupertatis voto ligati ſunt.

28 Prima tamen concluſio ſit. Hi Commendatarii, quibus eſt permiſſum contrahere matrimonium, quales ſunt in Hiſpania Commendatarii Divi Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, & in Luſitania Commendatarii Chriſti, Divi Jacobi, & de Avis, ſunt veri domini quorumcumque bonorum ante, & poſt profeſſionem acquiſitorum, ſive ex redditibus commendarum, ſive aliunde. Ratio eſt, quia ſicut nec omnimodam, & perfectam caſtitatem profitentur, ita nec perfectam paupertatem, ſed illam ſolum, quæ hodie eſt conſueta ab eis ſervari. Et quamvis forma profeſſionis in aliquibus ex his aliud plus præſeferat, quàm à multis annis ſervatur; at non plus hodie ſuperiores eorum exigunt, quàm quod ſervari eſt conſuetum; uſuſque tam longævus explicuiſſe videtur, qualiter obliget illa paupertas, quemadmodum explicabimus infrà. Atque ita docent *Iſla in regula commendatariorum Divi Jacobi, in proœmio*, ubi de voto paupertatis, *Molina Societatis JESU tomo 1. de juſt. diſp. 141. colum. 3. verſ. eſt vero rigida, Manuel q. regul. tomo 3. qu.29. art.7. & qu.69. art.7.* & faciunt Doctores aſſerentes poſſe hos liberè diſponere de bonis, quos referemus *num. ſequenti*.

29 Hinc deducitur primò recedendum eſſe ab aliquibus Doctoribus negantibus poſſe hos Commendatarios liberè diſponere de his omnibus bonis, perinde ac alios ſæculares de ſuis, ſed teneri in uſus ſuos honeſtos expendere, & quod ſuperfuerit, in opera pia. Ducuntur, tum quia ſunt religioſi, & paupertatis voto aſtricti: tum etiam quod redditus commendarum ab his percepti, ſint redditus eccleſiaſtici, utpotè qui ex decimis extrahuntur, & bona patrimonialia efficiuntur eccleſiaſtica, eo quod per illorum profeſſionem tranſeunt in religionis dominium. Hi ſunt *Navarr. lib. de redditibus, qu. 1. numer. 95. & 96. & quæſt. 3. numer. 30. & 31. & apologia ad lib. de redditibus monito 61. Motta in lib. inſtructionis, ut commendatarii tendant ad perfectionem c. 4. §. 4. n. 50.* & loquens de redditibus commendarum docet *Ayala in compendio explicationis regulæ ordinum militarium*, ut eum refert, & ſequitur *Manuel qq. regul. tom. 2. q. 57. art. 5.* Et idem quod aliqua dicit loquens de omnibus bonis *Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 13. c. 4. q. 10.* ait enim hos fore culpæ reos, & forſan contra votum paupertatis, ſi hæc bona in uſus malos, & vanos expendant; licet fateatur poſſe liberè in uſus honeſtos, quamvis non pios, nec teneri ſuperfluum in opera pia diſtribuere. Cæterum dicendum eſt, poſſe eos de his omnibus bonis ita liberè diſponere, ac cæteros ſæculares. Quia antiquiſſima conſuetudo ita paupertatem eorum interpretata eſt ſuperioribus ſcientibus, & non contradicentibus: & redditus commendarum titulo ſæculari his dantur, nempe titulo militari. Atque ita docent *Alcozer lib. de ludo c. 39. Iſla, Molina Societatis, Manuel* utroque loco allegati *num. præced.* Idem videntur tenere *Sotus lib. 10. de juſt. q. 4. art. 3. & Cordub. in quæſtionar. lib. 1. q. 18. ad 2. & q. 21.* ubi docent, eos, quibus titulo ſæculari aſſignantur eccleſiaſtici redditus, manere liberos a ſtricta convertendi ſuperfluos in opera pia obligatione. Et ſatis favet *Victoria relectione de ſimonia n. 45.* ubi ait, præbendas has militares, licet annexa ſint religioni, non annecti ratione officii ſpiritualis, ſed militaris. Satis quoque favet *Sarmiento lib. de redditib. 4. p. c. 2. n. 4.* ubi ait, hos Commendatarios, & quoſcumque laicos poſſidentes decimas, vel alia bona eccleſiaſtica ex privilegio, vel conſuetudine, manere ſecuros, ſi obſervent, quæ de his ſpecialiter ſtatuta ſunt. Atque idem tenet loquens de patrimonialibus horum bonis, *Molina lib. 2. de primog. c. 9. n. 69.* quamvis dubitet de redditibus commendarum.

30 Secundò deducitur, poſſe quoque liberè eos teſtari non minus, quam alios ſæculares tam de bonis patrimonialibus, quam etiam de redditibus harum commendarum; conſtat ex dictis *num. præced.* Sic enim receptiſſima conſuetudo apud eos obtinuit; & quamvis olim teſtari non poterant; at Innocentius VIII. & Clemens VII. in hoc diſpenſarunt. Nec obſtat Pium V. revocaſſe licentias his conceſſas ad teſtandum, quia reſpondent benè *Molina Societatis Jeſu, & Manuel ſtatim allegandi*, eum motum proprium receptum non eſſe quoad alios Commendatarios, præterquam Divi Joan. nec Pium V. revocaſſe ſimpliciter facultatem teſtandi, ſed eam dumtaxat, quæ a privilegiis Apoſtolicis dimanabat; quare permanet facultas, quam ex conſuetudine antiquiſſima teſtandi habent. Et inſuper ad majorem ſecuritatem Gregorius XIII. revocavit motum proprium Pii V. concedens illis facultatem teſtandi juxta priſtinam eorum conſuetudinem. Atque ita docent *Iſla, Molina Societatis Jeſu, Manuel* utroque loco *allegati n. 25. idem Molina Societatis Jeſu 3. tom. de juſt. diſp. 604. in fine, Motta tract. de confirmat. ordin. milit. lib. 2. c. 2. §. 18. n. 8.* & conſentiunt quoad bona patrimonialia *alter Molina* allegatus *num. præced. & Manuel 2. tom. ſummæ c. 32. n. 3.* quamvis uterque dubitet de redditibus commendarum.

31 Tertiò deducitur, poſſe quoque hos Commendatarios de utriſque bonis majoratum inſtituere, non ſecus atque alios ſæculares. Conſtat ex dictis duplici *num. præced.* & docent *Molina Societatis Jeſu, & Manuel* utroque loco allegati *nu. 25. Idem Molina Societatis Jeſu 3. tom. de juſt. diſp. 604. in fin.* & conſentiunt alter *Molina, & Manuel* allegati *num. præced.* quoad bona patrimonialia, quamvis quoad redditus commendarum dubitet *Molina*, & neget *Manuel*.

32 Quartò deducitur, ludentes cum his Commendatariis non teneri parta in ludo reſtituere, quia cum hi Commendatarii ſint verè domini omnium illorum bonorum, poſſintque de illis diſponere inſtar cujuſcumque ſæcularis, verè transferunt illorum dominium perdendo in ludo: & ita conſtat ex dictis 4. numeris præcedentibus, & tenet *Alcozer lib. de ludo c. 39.* Et quamvis *Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 13. c. 4. q. 10.* limitet poteſtatem horum ad ludendum, dicens integrum eis eſſe ludere, dummodo tales ſint ludi, quales decent alios nobiles: loquitur tamen conſequenter ad ſuam ſententiam, quam ibi ſuſtinet, dicens fortè hos eſſe reos voti paupertatis, ſi in uſus vanos bona expendant. At juxta noſtram ſententiam, quam ſuſtinuimus *num.* 26. dicendum eſt, hos quocumque ludo ludentes non aliter peccare, quam ſi eſſent meri ſæculares, cum ita liberè, ac illi poſſint de ſuis bonis diſponere.

33 Quintò deducitur, Commendatarios hos ſatisfacere ſuo paupertatis voto, ſi quotannis triginta diebus ante Domini natale, aut totidem poſt illud præſentent ſuperiori inventarium fidele omnium bonorum, quæ poſſident, nihil occultando, ut ex illius licentia poſſideant illa, quia, cum ea profeſſio ſecundum earumdem religionum ſtatuta, & conſuetudinem in illis receptam emittatur, non poteſt in plus obligare illos, quam ſtatuta, & conſuetudo illos aſtringunt; hæc autem ita intelligunt hanc paupertatem. Atque ita docent *Alcozer lib. de ludo cap. 39. Iſla in regula commendatariorum Divi Jacobi in proœmio*, ubi de voto paupertatis; ubi dicit non ſatisfacere ſi illud inventarium apud ſe retineant, vel ita claudant, ut illud aperiri non permittant. Sed in hoc ſervanda eſt conſuetudo. Nam, ut benè inquit *Azor. eodem cap.* 39. in aliquibus horum Ordinibus uſus habet, ut inventarium ſtatim præſentetur, in aliis verò, ut ſervetur præſentandum Viſitatorib. quando ad viſitandum venerint.

34 Quare peccarent mortaliter contra votum paupertatis, ſi id inventarium tempore præfixo non præſentarent, aut in eo conficiendo infideliter ſe haberent, aliquid occultantes, quia paupertas ab eis promiſſa in hoc conſiſtit. Atque ita docent *Iſla in prædicta reg. in proœmio*, ubi de voto paupertatis, & *in confeſſionario*, quod pro explicatione totius regulæ ibi ponit *in interrogationibus circa votum*. Quod tamen intelligerem, quando notabilis eſſet mora in eo inventario conficiendo poſt tempus præfixum, ut ſi eſſet mora alterius menſis. Et ſimiliter quando occultatio eſſet rei notabilis in hoc eventu, quando facultates occultatæ ſunt magnæ reſpectu bonorum Commendatarii.

35 Inſuper peccabunt mortaliter contra hoc votum, ſi animum habeant non relinquendi, aut non expendendi bona juxta ſuperiorum beneplacitum, ſi ab eo aut relinquere, aut aliquo modo diſtribuere jubentur. Sic tradunt *Iſla in prædicto confeſſionario, in interrogationibus circa votum, Motta in lib. inſtructionis, ut commendatarii tendant ad perfectionem c. 4. §. 4. n. 50.* & conſonat *Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 13. c. 14. q. 8.* ubi ait, poſſe Ordinem imponere onera, & ſervitutes redditibus commendarum, quos hi poſſident. Verum in omnibus his exiſtimo ſervanda eſſe ſtatuta horum Ordinum conſuetudine non abolita, quia ad arctiorem paupertatem aſtringi nequeunt.

36 Secunda concluſio. Equites Divi Joannis, qui ſolemniter profitentur, & ſic incapaces ſunt matrimonii ineundi, poſſunt ſtando in jure communi, & vi ſui voti teſtari. Quia non eam religioſorum clauſtralium rigidam paupertatem vovent, ſed bona ſua retinent, & de illis diſponunt. At ſuis conſtitutionibus illis interdicitur teſtari abſque ſuperioris licentia, tamquam quid paupertatis voto conſonum. Atque ita alios allegans, & ex multis probans docet *Jacob. de Beretta conſ. 96. n. 2. & 3. vol.*

37 Tertia concluſio. Clerici ordinum militarium in clauſtris viventium, qui ex legitima licentia extra clauſtra vitam tranſigunt inſervientes alicui beneficio poſſunt teſtari, ea tamen conditione, ut quotannis inventarium bonorum tempore præfixo ſuperiori præſentent, & dummodò quintam bonorum partem monaſterio relinquant. Idem enim indulſit illis Clemens VII. atque ita docent *Iſla in regul. horum commendatariorum cap. 26. Motta in lib. inſtruct. ut commendatarii tendant ad perfectionem cap. 4. §. 4. num. 52.* ubi addit aliam limitationem, nempè; dummodo tertio quoque anno petant a ſuperiore teſtandi licentiam, & dummodo non teſtentur de bonis, quæ ex beneficio ſæculari habent; aſſerit Pium V. in Bulla quadam declaraſſe, non cenſeri in clauſtris habitare, ut ab hoc teſtandi privilegio excludantur, qui, cum extra clauſtrum habitent, ad clauſtrum ad tempus redeunt, ut triennio Priorum munus obeant. Sed in his omnibus exiſtimo ſtandum eſſe conſuetudini legitimè inter eos obſervatæ.

38 Ultima concluſio. Hi commentarii, qui extra clauſtra vivunt ex ſui ſuperioris licentia, ſive alicui præbendæ, aut alicui Prælato eccleſiaſtico miniſtrantes, vel habitantes in domibus parentum, vel amicorum, ſi aliquid ludo amittant, non tenetur lucrans reſtituere, quia diſponunt de bonis inſtar ſæcularium. Atque idem dicendum eſt de iis, qui in communi vivunt, ſi ludo exponant ea, de quibus liberè diſponunt juxta ſuorum ordinum ſtatuta, & conſuetudines ab his legitimè receptas, quia horum paupertas non ita arcta eſt, ac aliorum religioſorum, & ſic ſuis ſtatutis, & conſuetudine explicatur. Sic docet *Alcozer lib. de ludo cap.* 39. Sed hoc intelligo, quando eſt quid moderatum juxta illius religionis uſum: quia nec ſuperior poteſt aliam licentiam concedere, cum veri religioſi ſint.

39 Utrum autem religioſus creatus Epiſcopus, Cardinalis, aut Pontifex, poſſit teſtari? Diximus ſupra.

40 Tandem dubitatur de Eremitis, & clauſis intra parietes vulgo (*Emparedados*) converſis, & oblatis, & de fratribus Xenodochii Joannis de Deo. Et quidem Eremitas teſtari poſſe dicendum eſt, quia non ſunt religioſi, nec tribus ſubſtantialibus religionis votis ligati. Atque ita affirmant *Abbas rubr. de teſtam. num. 6. Albericus auth. ingreſſi num. 32. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Signorol. num. 35. & ibi Tapia verb. ideoque nec de his c. 1. num. 22. idem Albericus in ſuo dictionario verb. teſtamentum 1. Præpoſitus c. nulli dubium 12. qu. 5. num. 21. D. Anton. 3. p. tit. 10. c. 3. §. 13. Angel. verb. teſtamentum num. 1. Joann. de Triburgo ſumma confeſſorum, lib. 2. tit. de teſtament. qu. 102. Sylveſt. verb. teſtamentum 1. qu. 3. Tabiena verb. teſtamentum qu. 1. Navar. comment. 2. num. 44. de regular. Mandoſ. in ſignatura gratiæ, verb. licentia teſtandi verſ. Eremitæ, Molina tom. 1. de juſt. diſp. 141. col. 1.*

41 Atque idem eſt ob eamdem rationem dicendum clauſis intra parietes vulgo (*Emparedados*.) Nec audiendus eſt *Horoſc. l. patre furioſo num. 8. ff. de his, qui ſui, vel alieni juris*, ubi ait, hæc eſſe vera attento jure communi, non autem attento jure hujus regni. Quia expreſsè *l. reg. 17. tit. 1. p. 6.* decidit, nec Eremitas, nec clauſo intra parietes teſtari poſſe. Sed intelligenda eſt, ut teſtatur ibi *Gregor. Lopez verb. Ermitanno, & verb. Emparedado*; de fratribus Eremitis Sancti Auguſtini, vel aliis, qui

proprium habere nequeunt. Quamvis Gratian. regul. 456. n. 11. dicat ſe de hac expoſitione dubitare, licet rationi conſonet, eo quod textus ille generaliter loquatur. Converſi autem profeſſi teſtari nequeunt, ut conſtat, & tradunt eo comment. 2. n. 45. Manuel quæſt. regul. tom. 3. q. 69. art. 8. Tapia eod. c. 1. n. 7. & 23. nec de hoc aliquis dubitat.

42 Sed de oblatis, qui profeſſione non emiſſa ſe, & ſua obtulerunt Eccleſiæ, non conveniunt Doctores. Quidam enim dicunt oblatos Eccleſiæ ſæculari poſſe teſtari, non autem oblatos Eccleſiæ regulari. Sic tradit Berous c. in præſentia n. 62. & 63. de probat. Alii diſtinguunt: ſi hi aliquid ſibi reſervarint, poſſunt teſtari, ſecus ſi ſe, & omnia ſua per donationem Eccleſiæ obtulerint. Quamvis enim profeſſi non ſint, teſtari tunc nequeunt, eo quod bonis, de quibus teſtentur, ſint deſtituti. Sic Navar. & Manuel num. præced. allegati, & Tapia eod. c. 1. n. 23. limitans, niſi poſt eam generalem oblationem aliquid acquiſierint: de hoc enim teſtari integrum erit. Quippe, etſi omnia bona Eccleſiæ obtulerint, poſſunt aliqua in futurum acquirere.

43 Sed verius eſt poſſe teſtari, etſi omnia bona prorſus Eccleſiæ obtulerint. Quia hæreditas, cum ſit nomen juris, poteſt eſſe ſine aliquo corpore l. hæreditas ff. de petit. hæred. Atque ita hi bonis per eam donationem deſtituti poterunt teſtari, non tamen in Eccleſiæ præjudicium, & hæredis erit acceptare, aut nolle acceptare. Ita docet Abb. c. in præſentia in fin. de probat. atque idem tenent alii, qui indiſtincte docent oblatos hos teſtari poſſe. Hi ſunt Odofredus authent. ingreſſi n. 7. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Bart. in 1. lectura n. 5. in 2. n. 12. Bald. n. 24. & l. generali n. 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Imola d. c. in præſentia n. 18.

SUMMARIUM.

An ex Pontificis licentia integrum ſit profeſſis teſtari? refertur quædam ſententia, n. 44.

Explicatur ſententia auctoris, n. 45.

An concedere hanc licentiam ſit diſpenſare in voto paupertatis? refertur quædam ſententia, n. 46.

Sententia auctoris, n. 47.

An deſideretur juſta cauſa, ut licitè, & validè concedatur prædicta licentia? Proponuntur rationes utrinque dubitandi, & variæ ſententiæ, n. 48. & 49.

Explicatur ſententia auctoris, n. 50.

Licentia conceſſa monacho ad teſtandum, an intelligatur ad ſolos uſus pios? n. 51.

An poſſit Pontifex concedere licentiam ad uſus non pios? n. 52.

An poſſit profeſſus virtute hujus licentiæ majoratum inſtituere? n. 53.

An ad hanc licentiam ſufficiat licentia Papæ ad diſponendum in omnes uſus; an potius exigatur expreſſa teſtandi licentia? n. 54.

An hæc licentia teſtandi intelligatur de ſolis bonis, quæ monachus poſſidet, & præjudicet hæredi, & legatariis, & fideicommiſſario, ſubſtitutoque in primo teſtamento relictis? n. 55.

An hæc licentia reſtringatur ad primum teſtamentum, & expiret morte concedentis? n. 56.

An hæc teſtandi licentia extendatur ad codicillos, & donationem cauſa mortis faciendam? n. 57.

An licentia teſtandi ſuperveniens efficiat valere prius teſtamentum abſque illa factum? refertur quædam ſententia, n. 58.

Explicatur ſententia auctoris, n. 59.

An de facto ſoleat Pontifex concedere hanc licentiam? n. 60.

An conſuetudo poſſit hanc licentiam concedere? refertur quædam ſententia, n. 61.

Sententia auctoris, n. 62.

44 QUæſtio ultima. An ex Pontificis licentia integrum ſit profeſſis teſtari, & qualiter ea teſtandi licentia intelligenda ſit? Aliqui cenſent non poſſe ex Pontificis diſpenſatione teſtari. Ducuntur, quia cum illa bona, de quibus religioſus teſtaturus eſt, ſint jam monaſterii, Pontifex non eſt illorum dominus, ſed adminiſtrator: non ergo poterit concedere monacho, ut ea teſtando alienet. In hanc partem, licet dubius, & relinquens cogitandum, inclinat re latiſſimè utrinque diſputata Francus rubr. de teſtament. in 6. a n. 77. uſque ad 83. & tenet Guillelmus Benedictus c. Raynutius verb. mortuo itaque teſtatore, el 1. n. 301.

45 Cæterum abſque dubio tenendum eſt, poſſe profeſſum in quacumque religione ex licentia Pontificia teſtari. Quia nemo dubitat poſſe illum ex ſuperioris licentia aliquid moderatum inter vivos diſtribuere. Quod autem ex ipſius licentia non poſſit illud in morte per viam teſtamenti relinquere, eſt ex ſolo jure humano; hoc autem non ligat Pontificem: ergo poteſt Pontifex in hoc diſpenſare. Atque ita ſuſtinent Bald. l. ſi quando, 31. in fine principii, C. de inoffic. teſtament. & l. unic. nu. 5. C. ſi ſervus extero, Decius authent. ingreſſi nu. 12. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Jaſon nu. 11. Petrus de Vergnia addition. ad Butrigar. ibi, in limitat. 3. Pariſ. in c. in præſentia num. 171. de probat. Idem Decius conſ. 512. n. 2. vol. 4. Bertrandus conſ. 116. n. 3. & conſ. 12. n. 8. & conſ. 16. nu. 1. vol. 3. in priori parte, & conſ. 296. n. 3. vol. 3. in poſteriori parte, Joannes Dilectus de arte teſtandi, tit. 1. cautel. 4. nu. 2. Sylveſt. verb. teſtamentum 1. q. 3. verſ. 11. Navar. comment. 2. nu. 57. de regul. & apologia ad lib. de redditib. qu. 3. monito 11. nu. 3. Botta conſ. 102. nu. 55. vol. 1. Benedict. Ægid. lib. 1. p. 1. §. 1. n. 6. fin. & §. 7. num. 7. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Peregrin. conſ. 53. num. 11. vol. 2. Covar. c. 2. nu. 10. & c. cum in officiis, nu. 7. de teſtament. Gregorius Lopez lib. 53. verb. que los ganen tit. 6. p. 1. Molina lib. 2. de primogen. c. 9. num. 67. Avendanno de exequend. mandat. Regum p. 1. c. 4. num. 34. verſ. 3. requiritur, Redoanus de ſpoliis eccleſiaſt. qu. 7. §. his præſuppoſitis, num. 10. (habetur tom. 14. tract.) Metina lib. 5. de ſacrorum hominum continentia c. 26. col. 2. fin. & col. 3. initio, Simon de Pret. de interpret. ultimæ volunt. lib. 2. interpr. 1. dub. 1. ſolut. 4. num. 72. Raven. de ſtatut. & conſuetud. ſect. 5. num. 10. (habetur tom. 2. tract.) Rimin. junior conſ. 154. nu. 16. vol. 2. Molina Societatis Jeſu tom. 1. de juſt. diſput. 141. col. penult. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 41. dub. 8. num. 73. Manuel 2. tomo ſummæ, c. 32. num. 1. & quæſt. regul. tom. 3. q. 69. art. 2. Graff. 1. p. deciſ. lib. 3. c. 5. nu. 57. & 58. Tapia d. authent. ingreſſi verbo ideoque nec de his c. 1. n. 24. Burgos de Paz lib. 3. Tauri n. 689. Gratian. regul. 456. nu. 1. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 9. q. ult. & loquentes de monacho Epiſcopo, etſi ſentiant eum non abſolvi a voto paupertatis, nec teſtari poſſe, dicunt tamen id poſſe ex Pontificis licentia D. Th. 2. 2. q. 185. art. 8. ad 3. Turrecrem. c. de monachis 16. q. 1. n. 3. ad 3. D. Antonin. 3. p. tit. 20. c. 2. §. 7. Tabiena verb. religio q. 42. n. 43. & verb. Epiſcopus q. 6. nu. 7. & ibi Armilla n. 8. Sotus lib. ult. de juſt. q. ult. art. ult. ad ult. Molina lib. 1. de primogen. c. 10. nu. 28. Viguer. lib. 1. inſtit. c. 17. §. 1. verſ. 21. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 7. q. 2. in fin. Manuel quæſt. regul. tom. 3. qu. 69. art. 4. Alvarad de conjecturata mente defuncti lib. 2. c. 1. in principio num. 6.

46 Utrum autem Pontificem concedere monacho licentiam teſtandi, ſit diſpenſare in voto paupertatis, diffident auctores. Nam Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 9. q. ult. ait, vehementer falli ſentientes, hoc non eſſe diſpenſare in voto paupertatis; quia non eſt idem aliquid donare nomine alterius, quod jure, facultate, & poteſtate donare, quamvis ab alio imperata: qui enim nomine, vel conſenſu alterius donat, nil juris habet in id, quod donat, & proinde religioſus abſque diſpenſatione in voto paupertatis poteſt donare, ejus nimirum nomine, & conſenſu, qui eſt rei donatæ dominus. At teſtari, ſeu legare eſt jure bona in alterum transferre: religioſus autem juris acquirendi capax non eſt, niſi cum eo in voto paupertatis diſpenſetur; quare abſque prædicta diſpenſatione teſtari nequit. Quod idem ſuſtinet Franc. rub. de teſtament. in 6. n. 82.

47 Cæterum dicendum eſt, id non eſſe in voto paupertatis diſpenſare. Sed quemadmodum concedi poteſt religioſo adminiſtratio, & uſus aliquarum rerum, illas conſumendo, atque alienando, quin dominus illarum conſtituatur, nec jus aliquod in illas comparet, ac proinde abſque diſpenſatione in voto paupertatis: ſic poteſt concedi alienatio per ultimam voluntatem, cum id nihil aliud ſit, quam prorogatio facultatis ad alienandum. Quare non eſt vera differentia, quam tradidit Azor. num. præced. allegatus, inter donationem, & teſtamentum. Nam etiam de re aliena ex domini conſenſu teſtari licèt, quod nullus dubitat: & ideo hanc partem clarè indicant D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 8. ad 3. Turrecrem. c. de monachis 16. quæſt. 1. num. 3. ad 3. D. Antonin. 3. part. tit. 10. cap. 3. §. 13. Tabiena verb. religio quæſt. 42. num. 43. Sylveſt. verb. teſtamentum 1. num. 3. verſ. 1. ubi ajunt, monachum ex Papæ indulgentia teſtantem, non cenſeri ex proprio teſtari, ſed auctoritate Pontificia cenſeri ampliatam diſtributionem a monacho factam, ut valere poſſit poſt mortem. Et in propriis terminis ita docent Navar. comment. 2. num. 57. de reg. & lib. de redditib. eccleſ. in 1. edit. q. 3. num. 26. in 2. eadem q. 3. monito 1. num. 3. Molina tom. 1. de juſt. diſp. 141. col. penult. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 41. dub. 8. nu. 73. Manuel quæſt. regul. tom. 3. q. 69. art. 2.

48 Rurſus quamvis certum ſit exigi juſtam cauſam, ut licitè concedatur prædicta teſtandi licentia monachis: nam quamvis nihil aliud interdiceret, niſi diſpenſatio in jure humano interdicente monachis, ea ad ſui honeſtatem deſiderat juſtam cauſam ſecundum omnes. At difficultas eſt de valore talis licentiæ abſque juſta cauſa conceſſæ. Videtur enim valere, quia diſpenſatio in jure humano abſque juſta cauſa conceſſa illicita eſt, ſed valida, ut ex frequentiſſima ſententia probavi lib. 8. de matrimonio diſp. 17. num. 24. & favet Covar. c. cum in officiis, num. 7. de teſtament. ubi ait illicitam eſſe, validam tamen diſpenſationem Pontificiam abſque juſta cauſa conceſſam Epiſcopis ad teſtandum de redditibus, quos ex Epiſcopatu percipiunt. Et in propriis terminis tenet hanc ſententiam Redoanus de ſpoliis eccleſiaſt. q. 7. §. his præſuppoſitis, nu. 15. (habetur tom. 14. tractatuum.)

49 Ex alia parte urget quod Abb. in repetit. c. cum in officiis, num. 30. de teſtam. quem ſequuntur Decius conſ. 512. num. 2. & 3. vol. 4. Navar. apologia ad lib. de redditibus q. 3. monito 6. & alii, quos refert Covar. d. c. cum in officiis num. 7. tradunt, Pontificem non poſſe abſque cauſa diſpenſare cum Epiſcopo, ut de redditibus Epiſcopatus teſtetur. Et quamvis non explicent, non poſſe validè, & ita poſſet quis interpretari non poſſe licitè; cæterum rationes, quibus innituntur, oſtendunt mentem eorum eſſe, non poſſe validè. Et in propriis terminis ſuſtinent hanc licentiam non poſſe valere, Granc. rubr. de teſtament. in 6. n. 82. Azor tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 9. q. ult. Sed neutrius auctoritas urget; cenſent enim (ut retulimus n. 44.) hoc eſſe diſpenſare in voto paupertatis; atque benè, & conſequenter loquuntur, dum ajunt fore nullius momenti prædictam teſtandi licentiam abſque juſta cauſa conceſſam, utpote diſpenſationem in voto obligante ex jure divino.

50 Cæterùm exiſtimo ſic dicendum, ut diſtributio illorum bonorum honeſta ſit, & talis, ut facta per alienationem inter vivos ex licentia ſuperioris vitio careret, & tantum eſt vitium in modo alienandi, non enim adeſt juſta cauſa concedendæ alienationis per ultimam voluntatem adverſus juris prohibitionem, valida eſt teſtandi licentia, utpotè quæ a Pontifice jure humano per ipſum inducto conceditur; & hoc probant allata n. 46. At ſi non ſolum eſt vitium in alienandi modo, ſed in ipſa quoque alienatione, quæ etiam inter vivos facta eſſet iniqua; non valeret licentia, quia tunc ea diſtributio etiam ex ſuperioris licentia eſſet contra votum paupertatis. Cum enim ſuperior non ſit illorum bonorum dominus, ſed adminiſtrator, non poteſt validè concedere prodigæ, ac iniquæ diſtributionis licentiam. Quæ ratio militat quoque in ſummo Pontifice; nec enim eſt illorum bonorum dominus: cujus ſententiæ quoad poſteriorem partem ſunt Doctores, quos referemus n. 5. dicentes Papam non poſſe concedere hanc licentiam teſtandi, niſi ad pias cauſas, & maximè Tapia ibi allegandus, qui dicit id exigi, ut valida ſit licentia.

51 Hinc deducitur primò licentiam a Pontifice abſolutè conceſſam teſtandi de his bonis, intelligi ad uſus pios: quia ea facultas intelligenda eſt, ut alioquin cum jure communi conſentiat. Nec enim Pontifex generaliter aliquid concedens, cenſetur derogare juri communi; ideoque ea facultas trahenda non eſt ad ea, quæ juri communi adverſantur: ac proinde virtute ejus nequibit teſtari religioſus ad uſus vanos, & profanos, ſed ad pios dumtaxat. Atque ita docent Navar. apologia ad lib. de redditibus q. 2. monito 6. Molina lib. 2. de primog. c. 9. n. 67. & c. 10. n. 30. & alter Molina Societatis Jeſu tom. 1. de juſt. diſp. 141. ad finem, verb. facultas religioſo, & tom. 3. diſp. 604. n. 5. Azor tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 9. q. ult. Leonardus lib. 2. de juſt. c. 19. dub. 4. n. 40. Tapia authent. ingreſſi verb. ideoque ne de his c. 1. n. 24. Quare non credo quod ait Metina lib. 5. de ſacrorum hominum continentia, c. 26. col. 2. in fin. & col. 3. in initio, nempè, uſu receptiſſimum eſſe cum quibuſcumque monachis diſpenſare, ut in uſus quoſcumque teſtentur, & cum monachis factis Epiſcopis ait, jam dudum receptiſſimum eſſe ſic diſpenſare, quem uſum velle damnare ait temerarium. Et de monachis Epiſcopis eumdem uſum refert Sotus lib. ult. de juſt. q. ult. art. ult. col. 5. at de ejus juſtitia dubitat: ait enim hunc uſum, ſi legitimus ſit, ſatis demonſtrare non eſſe tam indiſpenſabile votum paupertatis, ac caſtitatis. Cæterum in Epiſcopis non eſt cur damnetur hic uſus ob ea, quæ diximus ſupra n. 13. De aliis verò religioſis eum uſum minimè credo eſſe, immo, ut videmus, aliqui negant eſſe talem uſum concedendæ licentiæ etiam ad uſus pios, & qui ajunt aliquando concedi, dicunt id eſſe rarum.

52 Immo Leonardus, & Tapia n. præced. allegati tradunt non poſſe Pontificem aliter hanc licentiam licitè concedere, & addit Tapia etiam validè. Verum id non credo, quia poteſt eſſe uſus honeſtus, quamvis non pius: ſicut enim poteſt ſuperior facere copiam profeſſo donandi aliquid moderatum inter vivos perſonæ ditiſſimæ, eo quod ſit monaſterii amicus, aut benefactor, vel ad ejus voluntatem captandam, ut rebus monaſterii patrocinetur, vel cauſæ honeſtate accepta ex parte donantis, quod ſit perſona benemerita, ſuiſque operibus multa monaſterio acquiſierit: ita poteſt Pontifex ex his cauſis, & aliis ſimilibus dare licentiam ei teſtandi ad uſus honeſtos, quamvis non pios.

53 Secundo deducitur, virtute licentiæ conceſſæ monachis ad teſtandum non poſſe eos majoratum inſtituere, quippe ea licentia intelligitur teſtandi ad ſolos uſus pios (ut diximus n. 49.) Primogenium autem eſt res perſona; & ita docent Molina lib. 2. de primog. c. 9. n. 67. & alter Molina Societatis Jeſu tom. 3. de juſt. diſp. 604. n. 5. Addit prior Molina n. 68. conſulendum monacho habenti peculiarem licentiam ad primogenium inſtituendum, ne ex ſola familiæ conſervatione, quæ a monachis aliena eſſe debet, illud inſtituat, ſed ex alia honeſta cauſa religionis ſpecimen præſeferenti. Poſterior etiam Molina addit eo n. 5. ut beneficiati monachi, vel alii extra monaſterium degentes, habentes hujuſmodi licentiam, ad dijudicandum, an factum teneat, conſiderent, quo fine, qui cum ipſorum profeſſione, & ſtatu conſentiat, illum inſtituat, & ex quibus bonis, unde derivatis, & qua ratione acquiſitis.

54 Quatuor autem ſunt maximè obſervanda circa teſtandi licentias monachis conceſſas. Primò obſervandum eſt exigi, ut ea licentia expreſsè concedatur; non enim ſufficiet, ſi Papa religioſo licentiam concedat vivendi extra clauſtrum, & diſponendi de omnibus bonis quæſitis extra monaſterium, in ſuos uſus, & alios pios, tunc enim poterit diſponere inter vivos virtute hujus licentiæ, non autem per modum teſtamenti, ut bene ait Navar. lib. 3. conſ. in 1. edit. tit. de regul. conſ. 71. in fine, in 2. tit. de donationibus conſ. 7. in fin. quia cum diſpoſitio ac poſterior valde odioſa ſit, & a religioſo inſtituto aliena, exigit expreſſam teſtandi mentionem, ut ea licentia conceſſa cenſeatur.

55 Secundò obſervandum eſt, licentiam hanc teſtandi monacho conceſſam intelligi, ut teſtetur de bonis, quæ religioſus de facto poſſidet: nam proprium habere nequit. Sic Baldus l. unica n. 5. C. ſi ſervus extero, Simon de Prætis de interpretatione ultimæ voluntatis lib. 2. interpretatione 1. dub. 1. ſolut. 4. n. 73. ubi optimè addit cum Gozadino conſ. 41. §. quæritur, an frater Dominicanus: hujuſmodi licentiam, & teſtamentum inde ſubſequutum non præjudicare ei, cui dicta bona virtute prioris teſtamenti facti ante ingreſſum erant acquiſita, quia licentia Principis non intelligitur cum præjudicio tertii. Cui ego addo ſimiliter non præjudicare monaſterio quo ad bona hujus monachi, quæ per ipſius profeſſionem acquiſierat, quia eadem eſt ratio, & quia facultas teſtandi alicui conceſſa non debet eſſe cum præjudicio tertii l. ſi quando C. de inoffic. teſtamento, & ita docet optimè Gama deciſ. 308. in cauſa monaſterii n. 2. in fin. & 3. Nec approbo quod aliis reprobatis, ait Tapia auth. ingreſſi verb. ideoque nec de his c. 1. n. 26. C. de ſacroſanct. Eccleſiis, nempe, ſi hic religioſus in teſtamento in ſæculo inſtituiſſet aliquem, & ei alium ſubſtituiſſet, aut fideicommiſiſſet, ut hæreditatem alteri reſtitueret, poſſe hunc profeſſum virtute hujus licentiæ excludere ſubſtitutum illum, aut fideicommiſſarium; idque non probat, ſed ratio eſſe poteſt, quia cum ſubſtitutus ſit, & fideicommiſſarius non habeat perfectum jus ad rem, ſed conditionale, nempe, ſi ſupervivat hæredi inſtituto, facilius poteſt illi juri derogari. At hoc non approbo, quia ſimiliter jus vocatorum ad majoratum eſt conditionale, nempe, ſi ſupervivat majoratus poſſeſſori, & tamen illi juri nequit Princeps abſque maxima cauſa derogare, ut plurimis citatis probat Molina lib. 1. de primogen. c. 8. n. 31. a fortiori ergo dicendum eſt per licentiam teſtandi abſolutè conceſſam non derogari huic juri.

56 Tertiò obſervandum eſt, quoſdam limitare hanc teſtandi licentiam, ut intelligatur de primo teſtamento; atque ita eo ſemel condito non ſupereſſe facultatem aliud condendi, ac proinde ſecundo condito prævalere primum, quod ſecundum ex poteſtatis defectu vim ſortiri nequeat. Hos auctores, & eorum rationes retuli lib. 8. de matrim. diſp. 1. n. 17. Sed jure optimo ibi n. 18. defendi eam facultatem non extingui primo actu, ſed virtute illius licere toties quoties libuerit, teſtamentum facere uſque ad mortem, ac prius revocare, cujus ſententiæ rationes, & auctores ſolvens contrarias ibi retuli; & præter auctores ibi allegatos tenant hæc partem Alvaradus de conject. ment. teſt. lib. 2. c. 1. in princ. n. 6. verſ. licentia tamen Tapia authen. ingreſſi verb. ideoque nec de his c. 1. n. 31. Nec licentia hæc expirat morte concedentis, ſed ſemel conceſſa eſt perpetua, dum ab alio Pontifice non revocetur, ut contra alios probavi lib. 8. de matrim. diſp. 28. n. 82.

57 Quartò obſervandum eſt, quoſdam auctores cenſere licentiam hanc teſtandi non extendi ad codicillos, & donationem cauſa mortis faciendam. Quia etſi major ſit ratio prohibitionis teſtamenti, majuſque ſit illud concedere: at argumentum de majori ad minus non habet locum in diſpenſatione, ut probavi lib. 8. de matrim. diſp. 1. n. 32. Atque ita ſuſtinet Marian. Socinus junior conſ. 13. n. 12. & 13. & conſ. 89. n. 31. vol. 1. Decius conſ. 512. n. 2. vol. 4. Graffis 1. p. deciſ. lib. 2. c. 31. n. 28. Ex quo infert Graffis quod ſi teſtamentum habentis ex privilegio facultatem teſtandi, ex omiſſione alicujus ſolemnitatis non valeret jure teſtamenti, non valeret etiam jure codicilli, etſi ſit appoſita clauſula codicillaris. Quia reg. l. conficiuntur, ff. de jure codicillorum & lib. 2. ff. de leg. 1. dicens, quod qui poſſunt teſtari, poſſunt codicillos facere, intelligitur de potentibus in re, & citat Angel. & Imolam l. ſi ſervus communis Mevii ff. de ſtipulatione ſervorum. Cæterum dicendum eſt, eam licentiam ad hæc quoque facienda extendi, ut probavi ſatisfaciens contrariæ rationi, & multos allegans lib. 8. de matrim. diſp. 1. n. 38. Et ultra Doctores ibi allegatos ſuſtinet Ripa lib. 2. n. 2. ff. de leg. 1. Simon de Pretis de interpretatione ultim. voluntatis lib. 2. interpr. 1. dub. 1. ſolut. 4. n. 64. Spino in ſpeculo teſtament. Gloſ. 5. principali n. 50. quia de teſtamento ad codicillum non eſt propriè extenſio, ſed comprehenſio, quia codicillus dicitur teſtatio mentis, ſicut & teſtamentum, ut benè Gloſſa 1. inſtit. de teſtament. in principio.

58 Demum triplex reſtat difficultas. Prima eſt, an licentia teſtandi ſuperveniens efficiat valere prius teſtamentum a monacho abſque illa confectum? Aliqui, & ſatis probabiliter negant, quia ſola inhabilitatis ceſſatio non efficit, ut convaleſcat prior actus irritus, ut plura cumulans tradidit Mandoſius reg. 18. Cancellariæ q. 12. num. 18. Et confirmatur, quia, ubi habilitas perſonæ, aut licentia eſt de ſubſtantia actus, non ſatis eſt illam ſubſequi, ſed debet actum præcedere, ut optimè Felin. c. cum dilectus n. 2. de accuſat. At habilitas perſonæ, & legitima licentia ſunt de eſſentia teſtamenti. Secundo, quia actus ab initio irritus ob impedimentum aliquod, tunc demum convaleſcere incipit, quando ſublato impedimento ſubſequitur novus conſenſus, ut notant Gloſſa & DD. in regul. quod ab initio, ff. de regulis juris. Tertiò, quia cum teſtamentum prius ſit omninò irritum, confirmari nequit ex licentia ſupervenienti: confirmatio enim valorem actus confirmandi ſupponit. Quartò, quia adeo requiritur ad teſtamenti valorem capacitas teſtantis tem-

tempore quo teſtamentum condit, ut etiamſi tunc fuerit capax, & ſic validum, ſi poſtea efficiatur irritum ratione illius poteſtatis ablatæ, non convaleſcat, hac reddita, niſi adſit nova ſolemnis voluntas. leg. qui ex liberis 11. §. teſtamento, ff. de bonorum poſſeſſ. ſecund. tab. & ita Alberic. l. 1. §. hi quibus num. 6. ff. de legat. 3. ait, teſtamentum ab hæretico confectum non convaleſcere eo ad fidem converſo, & ſubinde ceſſante incapacitate, eo quod ab initio id fuerit nullum, & conſequenter; quia teſtamentum factum ab impubere, vel furioſo non convaleſcit adveniente ætate, vel ſanitate, ut expreſsè habetur §. præterea, inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. Quod procedit quoties eſt defectus in teſtante: tunc enim non convaleſcit teſtamentum ceſſante impedimento, ut optimè conſiderant Bart. l. filio præterito in fine, ff. de injuſt. rup. teſt. Jaſon l. ſi arrogator nu. 36. in fine, ff. de adoptionibus. Tandem, quia cùm diſpenſatio illa ad teſtandum ſit odioſa, potiùs reſtringenda eſt, quàm extendenda, ut faciat prius teſtamentum valere. Atque ita hanc partem ſuſtinent Jaſon l. ut militibus, n. 2. C. de teſtament. milit. & ibi Additionator ad Alex. n. 3. verb. antea & in hanc inclinat Decius ibi, in nova edit. à nu. 8. uſque ad 12. & in eamdem ſatis inclinat, dicens oppoſitam eſſe valde dubiam, Socinus l. ſi jam facta n. 5. & 11. ff. cond. & demonſtr. & eam tenet Simon de Pretis de interpretat. ult. volunt. lib. 2. interpret. 1. dub. 1. ſolut. 4. nu. 31. & ſequentibus.

59 Cæterùm contraria ſententia eſt frequentiſſima, & ideo tamquam probabilior amplectenda eſt, cujus ratio eſt, quia cùm teſtamentum ſit actus ſucceſſivus, ac deambulatorius uſque ad mortem, non cenſetur perfectè factum uſque tunc: quare ſufficiens eſt ad ejus valorem, ut habilitas teſtandi adſit tempore mortis, à quo robur ſumit, ut colligitur ex l. ſi quis filio exhæredato §. irritum, verſ. qua ratione ff. de injuſto rup. teſt. Quare hoc non eſt extendere diſpenſationem, ſed eam accommodare naturæ teſtamenti; quæ cum ea ſit, ut nihil cenſeatur conſummatum uſque ad mortem, licentia ſuperveniens adeſt ante teſtamenti perfectionem, & ideo nil mirum, ſi trahatur ad tempus præteritum, quo confectum eſt arg. l. talis ſcriptura 30. in fine ff. de leg. 1. ubi verbum (legati) quamvis præteriti temporis, extenditur ad omnia in teſtamento contenta, tam præterita, quam futura, ob teſtamenti naturam. Idem probatur ex l. jubemus, ff. qui ſatiſdare cogan. ubi concedens alicui procuratori mandatum, cenſetur ratificare omnia ab illo ante mandatum facta. Et hinc patet ſolutio ad omnia in contrarium objecta, præterquam ad quartum, quod ſpeciali ſolutione indiget. Non enim dicendum eſt, prius teſtamentum fuiſſe omninò irritum, ſed tamquam nondum perfectum, & conſummatum eſſe in pendenti, & habilitate ad teſtandum ante teſtatoris mortem obventura. Ad quartum, & confirmationem reſpondetur, reddendo diſcrimen ſpeciale inter caſus in argumento propoſitos, & noſtrum: in illis enim ceſſante impedimento nulla eſt confirmatio tacita, aut expreſſa confecti teſtamenti, quod, cùm antea fuerit irritum, & nil afferatur, quo poſſit validari, irritum perſiſtet. Quando verò facultas teſtandi religioſo impetratur, ipſeque eam acceptat, teſtamentum factum videtur confirmare, & poteſtatem, quæ ſola deſiderabatur ad integritatem illius, retrotrahere, ac proinde validiùs efficere, id admittente teſtamenti natura, quod, cùm actus ſit ſucceſſivus, uſque ad mortem, non exiſtimatur eſſe perfectus. Ad ultimum dic, non extendi in præſenti teſtandi facultatem, ſed ipſam ad tempus præteritum retrotrahi, quod diverſum quidpiam eſt. Et ideo hanc ſuſtinet Bartol. in l. ſi quis filio §. irritum in fine, & ibi Imola num. 2. Paulus nu. 4. idem Paulus l. ſi jam facta 11. num. 2. ff. de condit. & demonſtr. & l. ut militibus, nu. 2. C. de teſtament. milit. ubi Alexand. nu. 3. Jaſon in repetit. l. quominus, quæ habetur in ejus commentariis ad ff. novum, tom. 1. in fine quæſt. 21. nu. 129. art. 130. ff. de fluminibus, & authent. ingreſſi num. 11. C. de ſacroſanctis Eccleſiis, & ibi Petrus de Vergnia additionator ad Butrigarium, limitat. 3. Marſilius l. penult. nu. 50. ff. de quæſt. Gozadinus conſil. 4. nu. 3. Curtius junior. conſ. 103. num. 7. vol. unico, Antonius Gomez l. 42. Tauri num. 2. Navarr. comment. 2. n. 57. de regular. Gambara de auctorit. legati, lib. 10. à num. 256. Redoanus de ſpoliis eccleſiaſticorum q. 7. §. his præſuppoſitis, nu. 69. Mandoſius in ſignatura gratiæ, verb. licentia teſtandi §. penult. Ravennas de ſtatutis, & conſuetudine ſect. 5. nu. 10. (habetur tomo 2. tract.) Matienzo lib. 5. recopilat. tit. 4. l. 3. gloſſ. 3. nu. 4. Alvaradus de conjectur. ment. teſtat. lib. 2. c. 1. in principio, n. 23. Tapia dicta authent. ingreſſi, verb. ideoque nec de his c. 1. n. 25. Molina tomo 1. de juſtitia diſp. 141. in fine, & in fortioribus terminis id tenet, quamvis ſub dubio, & relinquens cogitandum Gregor. Lopez l. 32. verb. non valdra q. 42. verb. adverte. tit. 9. p. 6.

60 Secunda difficultas eſt, an de facto ſoleat concedere hanc teſtandi licentiam Pontifex? Mandoſius ſignatura gratiæ, verb. licentia teſtandi verſ. advertendum eſt, in fine dicit de facto non concedi. At Covarr. c. 2. num. 10. de teſtament. dicit ſolere Pontificem eam concedere de modica quantitate, & interveniente Abbatis licentia, & Redoanus de ſpoliis eccleſiaſticorum q. 7. §. his præſuppoſitis, num. 10. (habetur tomo 14. tract.) dicit ſe multoties vidiſſe eam concedi. Sed optimè Navarr. comment. 2. num. 58. de regular. & lib. de redditibus eccleſiaſt. in 1. edit. q. 3. nu. 27. & 28. in novis editionib. q. 3. menit. 11. num. 4. & ipſum ſequitur Tapia auth. ingreſſi, verb. ideoque nec de his c. 1. nu. 28. Molina tom. 1. de juſtitia diſp. 141. col. penult. & ult. Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 9. quæſt. ultim. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 19. dubio 4. num. 40. tradunt quadruplices eſſe religioſos. Primi ſunt, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum poſſident. Secundi, qui eo beneficio carent, nec in communitate perfecta vivunt, & ex ſuperioris licentia certam panis, & vini, aut pecuniæ, aut aliorum vitæ tranſigendæ neceſſariorum quantitatem habent ita ut ſuperfluum ſibi reſervent, & ſi quid deſit, aliunde quærant. Tertii, qui ex legitima licentia extra monaſterium degunt, aluntur que bonis ſui induſtria, labore, ac eleemoſyna comparatis, & neque tribuunt ex his quidquam monaſterio, nec ab eo aliquid recipiunt. Ultimi ſunt religioſi ſimplices intra clauſtrum degentes. Aſſerunt ergo hi Doctores religioſis primi generis ſæpè hanc teſtandi licentiam concedi, quod id nec in monaſterii, nec in beneficii detrimentum, ſed potiùs utilitatem cedat: quippe hac teſtandi ſpe deſtituti conſumerent ea omnia tempore vitæ, prout poterant, & ea conſervant ſpe teſtandi: unde cùm ſæpè ab inteſtato decedant, & ſic ſuccedat aut monaſterium, aut beneficium, vel ea relinquant monaſterio, aut beneficio utilitas inde conſurgit monaſterio, aut beneficio. Inſuper religioſis ſecundi, & tertii generis ajunt hi Doctores ſolitum eſſe Pontificem concedere licentiam teſtandi de his bonis, quorum liberam adminiſtrationem in vita habebant. Quare proximè tradita ratio militat pariter in his religioſis quarti generis; & ideo dicunt non ſolere illis concedi hanc licentiam: quia ſicut in vita nullam adminiſtrationem habebant, ita expedit, ut nec in morte habeant. At ſi quiſpiam ex his religioſis eſſet valde monaſterio utilis, dicunt poſſe ei concedi prædictam licentiam à Pontifice.

61 Ultima difficultas eſt, an valeat conſuetudo, ut monachus teſtetur; Negant multi: ducunturque, quod repugnet regulæ monaſticæ. Ita Bald. authent. ingreſſi. num. 5. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Decius nu. 11. Jaſon. nu. 8. Francus rubr. de teſtament. in 6. nu. 74. Guillelmus Benedict. c. Raynutius verb. mortuo itaque teſtatores, el 1. num. 301. de teſtament. Gozadinus conſ. 41. nu. 7. Henricus c. ſi quis ſanè, num. 10. de peculio clericorum, Redoanus de ſpoliis eccleſiaſt. qu. 7. §. his præſuppoſitis, num. 66. Bertrand. conſ. 12. num. 8. vol. 3. in parte priori, Ravennas de ſtatutis, & conſuetudine, ſect. 5. num. 10. (habetur tomo 2. tract.) Boetius Epono c. relatum, el 2. num. 40. de teſtamentis Benedictus Ægidius l. 1. p. 1. §. 7. num. 7. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Graſſis 1. p. deciſ. lib. 3. c. 5. num. 39. & p. 2. lib. 3. c. 19. num. 86.

62 Cæterum in omnibus caſibus, in quibus hucuſque diximus poſſe per Pontificis privilegium hanc facultatem competere monachis, dicendum quoque eſt poſſe per conſuetudinem, quia, quæ per privilegium fieri poſſunt, valent quoque conſuetudine legitimè præſcripta induci, ut benè tradit Felinus c. quæ in Eccleſiarum, nu. 27. de conſtitutionibus. Quippe conſuetudo hæc vim habet, & juris novi condendi & abolendi antiqui cap. fin. de conſuetud. Adde prohibitionem hanc eſſe ex jure humano, ut probavimus num. 4. at id jus poteſt conſuetudine aboleri. Atque ideo hanc partem ſuſtinet Navarr. comment. 2. num. 44. de regular. Tapia authent. ingreſſi, verb. ideoque nec de his c. 1. n. 6. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & quamvis uterque dicat conſuetudinem ſaltem immemorialem hoc poſſe, meritò dicunt ſaltem ad denotandum eam neceſſariam non eſſe, ſed talem, qualis ſufficit ad derogandum juri humano, de cujus qualitate tractatur in materia de legibus.

CAPUT IX.

Qualiter profeſſis habentibus aſcendentes, aut deſcendentes, teſtari liceat inter eos.

SUMMARIUM.

Proponitur authent. ſi qua mulier, C. de ſacroſanct. Eccleſ. quæ anſam dubitandi præbet, nu. 1.

An profeſſi in ordine incapaci, & coadjutores formati in Societate JESU, poſſint diviſionem bonorum inter liberos facere? nu. 2.

An ſit opus ad hanc diviſionem faciendam licentia ſuperioris? num. 3.

Qualiter lex civilis potuerit hoc diſponere? Referuntur tres ſententiæ, num. 4. & 5.

An leges civiles mentionem clericorum facientes, illos obligent? num. 6.

Explicatur ſententia Auctoris, num. 7.

Nequit alia diviſio inter liberos fieri à profeſſis, præter explicatam in illa authentica, num. 8.

An illa diviſio ſit teſtamentum; referuntur variæ ſententiæ numero 9.

Explicatur ſententia Auctoris? num. 19.

Cujus effectus ſit hoc ſcire, nu. 11.

Poteſt hæc diviſio à profeſſo fieri, & ſi unicum filium habeat, numero 12.

Idem ſi nullum filium, at habet alios deſcendentes, nu. 13.

Quid ſi filii ſint illegitimi? referuntur quædam ſententiæ, nu. 14.

Explicatur ſententia Auctoris, num. 15. & 16.

Quid ſi habeat ſolos filios legitimatos? nu. 17.

An

An ſi ſolos aſcendentes habeat, ſit illis neceſſariò legitima reſervanda? refertur quædam ſententia, n. 18.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 19.

An liceat profeſſo inter aſcendentes illos facere prædictam diviſionem? n. 20.

An filio profeſſo mortuo ſint reddenda aſcendentibus bona, quæ in monaſterium ſecum detulit? n. 21.

Quid de bonis acquiſitis poſt profeſſionem, an in illis habeant legitimam aſcendentes, aut deſcendentes, aut poſſit ille inter eos dividere? n. 22.

An dos data monaſterio in ingreſſu monialium, redeat ad aſcendentem, aut deſcendentem ſuperſtitem mortua moniali? n. 23.

Quid de pretio dato cum pacto, ut ille reliquæ hæreditati renunciet? n. 24.

Quando religioſus Societatis JESU renunciavit bonis juxta ipſius Societatis conſtitutiones, an ea ſint reddenda ſuperſtiti aſcendenti, quando hic naturaliter moritur, aut profeſſionem, votave coadjutorum formatorum emittit? n. 25.

Quotam bonorum partem teneatur profeſſus dividens inter filios relinquere monaſterio? n. 26.

Quid in Regno Caſtellæ? n. 27.

An poſſit, quemquam ex filiis in tertio meliorare? refertur quædam ſententia, n. 28.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 29.

An poſſit in quinto meliorare, vel partem illius filiis relinquere? n. 30.

An profeſſus poſſit inter ſuos liberos majoratum inſtituere ex tertio, & quinto bonorum? n. 31.

An poſſit inter aſcendentes ex tertio? n. 32.

An poſſit inter illos ex regia facultate? n. 33.

An poſſit pupillariter filiis ſubſtituere? n. 34.

An poſſit vulgariter, compendioſè, & per fideicommiſſum? n. 35.

An poſſit exemplariter? n. 36.

An poſſit eis tutorem aſſignare? n. 37.

An profeſſus poſſit in ea diviſione aliqua legare, vel ſi fateatur dotem ab uxore receptam, aut uſuras extortas, teneatur monaſterium ſtare illi confeſſioni? n. 38.

Si non dividat, quis ſuccedat? n. 39.

An religioſis Societatis JESU, qui vota biennii in ea emiſerunt, liceat ſic bona inter filios dividere, & illis ſubſtituere? n. 40.

An quando hic profeſſus teſtatus fuerat in ſæculo, vel diviſerat omnia bona, vel partem illorum inter filios, poſſit poſt profeſſionem dividere, & facta revocare? remiſſivè, n. 41.

1 ANſam hujus difficultatis præbet §. ſi qua mulier authen. de ſanctiſs. Epiſcop. unde deſumpta eſt authen. ſi qua mulier C. de ſacroſanct. Eccleſiis, ubi ſic dicitur: *Si perſona liberos habens, antequam de rebus ſuis inter eos diſponat, monaſterium intret, liceat ei poſtea inter eos dividere legitima non diminuta, & quod eis non dedit, monaſterio competet. Sed ſi omnem ſubſtantiam inter filios dividere voluerit, ſua perſona filiis connumerata, partem ſibi retineat, quæ monaſterio competere debet. Sed ſi poſt ingreſſum moriatur, antequam inter eos dividat, filii legitimam percipiant, reliqua ſubſtantia monaſterio competente.* Quæ authentica refertur a Gratiano in decreto, & habetur c. ſi qua mulier 19. q. 3. & idem diſponit lex regia 17. tit. 1. p. 6. Itaque juxta hanc deciſionem, ſi habens filios ingreſſus ſit religionem nulla bonorum diſpoſitione præmiſſa, poteſt inter eos dividere bona, & ſi ſolam legitimam dividere velit, poteſt utique, & totum reſiduum erit monaſterii: ſi verò velit amplius, quam legitimam filiis relinquere, tunc debet ſuæ perſonæ inter filios connumeratæ partem retinere, quæ monaſterii ſit; ſic enim ea lex regia 17. tranſcripſit ea verba prædictæ authen. ſed ſi omnem ſubſtantiam, his verbis; *E ſi por aventura mas les quiſieſe dar de ſu parte legitima.*

2 Quæ diſpoſitio non procedit in profeſſis in ordine ſuccedendi incapaci, ut ſunt Minores fratres; nec enim inter liberos poterunt ſic diſponere, quia a die profeſſionis reputantur tamquam naturaliter mortui. Sic Bart. ea authen. ſi qua mulier, n. 13. & ibi Jaſon n. 1. Petrus de Vergnia additionator ad Butrigarium, ibi q. 2. Idem Bart. tractatus Minoricarum lib. 4. diſt. 2. c. 3. ſtatim in princip. Bart. l. humanitatis, n. 41. C. de impub. & aliis ſubſt. Et quamvis idem dicat ibi de mendicantibus omnibus, id tamen eſt, quia antiquitus nec in communi erant capaces ſucceſſionis: at id jam ceſſavit, & ideo in cæteris mendicantibus præter Minores, & Capuccinos, habet locum hæc authentica.

3 Atque idem dicendum eſt de profeſſis, & formatis coadjutoribus in Societate JESU: cum enim hi omnes ſint ſimiliter incapaces omnis ſucceſſionis in communi, & in particulari, reputantur eodem modo tamquam naturaliter mortui (ut diximus) & ideo non gaudent beneficio hujus diviſionis inter liberos faciendæ. Quid autem dicendum ſit de his, qui vota biennii in ea emiſerunt. Dicemus n. 40.

4 Nec ad hanc diviſionem inter liberos a profeſſo faciendam eſt opus ſuperioris licentia: quod jus hanc facultatem nulla licentiæ ſuperioris mentione facta cencedat. At, ſi licentia ea foret opus, exprimeret utique, quandoquidem formam in hoc neceſſariam præfigit: & alias illuſoria eſſet juris facultas, ſuperior enim eam licentiam non concederet in ſui monaſterii præjudicium. Ita Gutier. quæſt. canonicarum, lib. 2. c. 1. n. 96. Quare minus cautè Manuel quæſt. regular. tomo 3. q. 69. art. 2. dixit non opus eſſe licentia Pontificis, ſed ſatis eſſe Prælati religionis, quaſi ſupponens hanc eſſe neceſſariam.

4 Circa hanc autem deciſionem dubitatur primò, qualiter illa authentica potuerit hoc diſponere? Ratio dubitandi eſt quod ſit diſpoſitio legis civilis, ac ſubinde nec religioſos nec clericos arctare poſſit. Gutierrez quæſt. canonicarum lib. 2. c. 1. n. 89. dicit neminem ſanæ mentis poſſe dubitare, quin lex civilis potuerit in hoc diſponere, quod ſucceſſiones ſint de jure civili. Cæterum credo non potuiſſe ſic diſponere, quod clarè ſentiunt auctores triplici num. ſequent. allegandi, dum confugiunt ad juris canonici approbationem. Et ratio ſit. Quia, quando leges civiles ſpecialem clericorum mentionem faciunt, non eſt integrum clericis eis uti etiam in ſibi favorabilibus, dum a Pontifice non approbantur, quia deficit in lege civili vis ad diſponendum ſpecialiter de clericorum rebus, juxta cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitut. & ita tradunt Abb. ibi n. 10. & in repetitione ſuper idem cap. numero 4. & 15. Decius ibi in nova edition, numero 88. & 106. Felinus numero 40. idem Decius cap. in præſentia in nova edition. numero 159. de probation. & ibi Abbas numero 28. Berous numero 151. Salycetus auth. caſſa, num. 9. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Francus in ſuis quæſtionib. in materia petitorii, quæſt. 4. num. 10. idem Decius leg. ſenium in nova edit. numero 14. C. qui teſtamenta facere poſſunt, Menchaca in controverſiis uſu frequent. lib. 1. cap. 5. numero 1. & quamvis numer. 9. videatur contradicere, non tamen contradicit: quia expreſsè fatetur leges Imperatorum contentas C. de ſacroſanct. Eccleſ. & C. de Epiſcop. & cleric. mentionem facientes clericorum, non habere vim ex juriſdictione Imperatorum ſtatuentium, ſed ex tacita approbatione Pontificum, & Eccleſiæ, Sarmento lib. 8. ſelect. ſuper §. 15. in tempus, num. 3. Caldas de nominatione emphyteot. quæſt. 16. num. 28. Sfortia conſ. 44. num. 13. vol. 1. & multos alios allegans Hondedeus conſ. 20. num. 18. vol. 2.

5 Ideo Navarr. conſ. 2. num. 53. de regular. motus hac ratione dixit facilè defendi poſſe deciſionem illius authenticæ non habere vim, utpotè quæ de religioſis ſpecialiter diſponit, nec per Pontificem eſt approbata: & Decius ea. l. ſennium, numero 14. ait, leges, & authenticas contentas in C. de ſacroſanct. Eccleſ. & C. de Epiſcop. & clericis, mentionem clericorum facientes non habere vim.

6 Alii autem dicunt habere vim, non quatenus eſt diſpoſitio juris, ſed quia eſt approbata jure canonico cap. ſi qua mulier 19. quæſtione 3. Sic tradunt Abbas c. cùm ſimus, num. 5. de regularib. & cap. in præſentia, num. 52. in fin. de probat. & ibi Imola num. 22. Francus rubr. de teſtament. in 6. num. 65. Ananias cap. 2. num. 6. de delictis puerorum, Bartol. ea. authent. ſi qua mulier, num. 3. & ibi Albericus ſtatim in princip. Salycetus num. 9. initio, Jaſon num. 5. Petrus de Vergnia addit. ad Butrigarium, Bertrandus conſ. 16. num. 3. volum. 3. in priori parte, Molina lib. 2. de primog. cap. 9. nu. 54. verſ. in 3. caſu, Redoanus de ſpoliis eccleſiaſt. quæſtione 8. in princip. num. 72. (habetur tomo 14. tract.) ibi ſtatim in principio. Azor. tom. 1. inſtitut. moralium lib. 12. cap. 6. quæſtione 4. Cæterùm hic dicendi modus diſplicet, quia, ut benè ajunt Decius authen. ingreſſi, num. 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Navarr. commentar. 2. num. 53. de regular. non poteſt vim juris canonici habere, ex eo quod authentica illa ſit inſerta à Gratiano in decreto; & ita leges ibi inſertæ ſolam juris civilis vim retinent, ut probavi lib. 9. de matrimonio diſp. 12. n. 3. & 5.

7 Ideo dicendum eſt, eam authenticam vim ex eo ſortiri, quod tacitè ſit à Pontificibus approbata, ut benè tradunt Molina Societatis JESU tomo 1. de juſtitia diſputat. 141. colum. 2. verſ. hinc in regno, Leonardus lib. 2. de juſt. c. 41. dub. 10. num. 82. Manuel quæſt. regular. tomo 3. quæſtione 69. art. 2. qui addit præſertim vim hanc obligandi habere, quod in decreto ſit. Sed hanc obligandi rationem reprobavi num. præcedenti; & ideo optimè dixit Menchaca, num. 4. allegatus ſortiri vim hujuſmodi leges ex hac tacita approbatione.

8 Id tamen fatendum eſt, extra eventum in ea authentica contentum, aut alium modum ibi conceſſum; nec inter liberos poſſe profeſſum quidquam de ſuis bonis diſponere; quia caret dominio, ac illorum adminiſtratione, & velle, vel nolle non habet. Sic tradunt Navarr. commentar. ſecunda numer. 53. de regular. Molina Societatis JESU n. præced. allegatus.

9 Secundo dubitatur, an diviſio inter liberos, quam ea authentica permittit, ſit teſtamentum? Quibusdam placet eam diviſionem eſſe teſtamentum. Ducuntur, quia quælibet bonorum diſpoſitio per modum quotæ, & univerſitatis dicitur in dubio teſtamentum, ut notatur l. quoties, C. familiæ herciſcundæ, & l. hæreditatem, C. de codicillis; at diſpoſitio hæc eſt hujuſmodi, ergo eſt teſtamentum. Atque ita tenet Gloſſa cap. ſi qua mulier verborum dividere 19. quæſtione 3. Cynus authentica ſi qua mulier, numero tertio in fine, C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Baldus numer. 25. Jacobus Butrigarius quæſt. 7. Godoffred. litera L. Odofredus num. 3. in fin. Albericus authentica ingreſſi, numer. 6. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Petrus de Bellapertica quæſtione 4. Angelus inſtit. de pupil. ſubſt. §. qua ratione, num. 9. Alii ſic diſtinguunt: ſi in ea diviſione adhibitus eſt ſufficiens teſtium numerus, erit teſtamentum; ſi autem ſoli duo, aut tres teſtes adhibiti ſunt, ſi pater aſſignavit filiis certas quotas, erit teſtamentum, ſi autem res ſingulares, erit ultima

volun-